VII D 116

CHRISTIANI GVIL. FRANC.
WALCHII

S. THEOL. DOCT. ET PROF. P.

HISTORIA ADOPTIANORVM.

GOETTINGAE

SVMTIBVS DAN. FRID. KVEBLERI

CIↃ IↃCC LV.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO
DOMINO
PHILIPPO ADOLPHO
SACR. IMP. ROM.
BARONI
DE MVNCHHAVSEN
AVGVSTISSIMI MAGNAE BRITANNIAE REGIS PRINCIPIS ELECTORIS BRVNSVIC. ET LVNEBVRG. STATVS ADMINISTRO ET CONSILIARIO INTIMO
DYNASTAE IN STEINFVRTH cet.
DOMINO SVO INDVLGENTISSIMO SACRVM.

EXHIBEO *TIBI, DOMINE*, *exiguum opuſculum, quod illuſtriſſimo* TVO *nomini conſecrare, auſus ſum, partim vt animi mei religionem, qua* TIBI *me de-*

uinctum eſſe, ſentio, publico monimento facerem teſtatam; partim vt ſtudiorum, quae in recte adminiſtranda, ſacras litteras in regia hac academia docendi, prouincia collocare ſoleo, redderem TIBI *rationes. Quum omnes, quotquot boni ſunt, auguſtiſſimi* GEORGII *ciues non ſolum diuinas illas, quæ in* TE *effulgent, animi ingeniique dotes admirantur atque innumera beneficia, quæ in has terras collocaſti, gratiſſima amplectuntur mente; ſed etiam incredibilem lætitiam aperte ferunt,* TE *apud regem, omnium maximum ac ſapientiſſimum, in tanta eſſe gratia, vt* TE *comitem ſuum adſiduum eſſe ſuoque lateri ſemper adhærere, velit; tum eos inprimis oportet in*

gau-

gaudii illius ac votorum, quæ pro TVA *ſalute nuncupantur, venire ſocietatem, qui, in noſtrum muſarum domicilium, auguſtum certe et fortunatiſſimum, admiſſi, ex mirifica illa, qua cum* FRATRE TVO *illuſtriſſimo coniunctus es, ad tuendam eius dignitatem amplificandaque eius ornamenta, animorum concordia commoda capiunt innumera. Nam non ſolum communis* VOBIS *eſt auita gentis* VESTRAE *gloria, quæ licet maxima ſemper eſſet et ſummorum virorum imaginibus nobilitata; tamen* VESTRARVM *virtutum ſplendore illuſtrata fuit et in altiore gradu poſita; ſed eadem etiam, de vniuerſo hominum genere præclare merendi, cupiditas excelſa* VESTRA *pe-*

ctora impleuit: idem ardor, ciuium ſalutem ſtabilem reddendi ac perfectiſſimam, VOS *ad tot facta illuſtria et glorioſa impulit: eadem virtus* VOS *in eodem honoris faſtigio collocauit: eamdem denique erga muſas, quae ſplendide ac liberaliter a* VOBIS *habentur, benignitatem in vtroque* VESTRVM *nos omnes admiramur; poſteri vero inter ea numerabunt, quae, niſi conſtanti annalium conſenſu memoriae ipſorum fuerint commendata, fidem omnem excedere illis videbuntur.*

CAELESTI *itaque prouidentia,* ILLVSTRISSIME VIR, *accidere, meo ipſe exemplo didici, vt quos a* FRATRE TVO *incomparabili comiter admitti, intelligis, iisdem*

ad

ad TE *aditum patere, velis eosque foueas et luculentis indulgentiæ* TVAE *teſtimoniis exornes. Quibus dum nec me carere paſſus es; ſed in* TE *mihi meisque ſtudiis præſidium eſſe conſtitutum, declaraſti, ſancta quadam ac diuina pietatis lege commoueor, vt meæ erga* TE *reuerentiæ ſtatuam monimentum, cuius non me ſolum; ſed alios etiam ac, ſi meæ id facultatis fuerit, poſteros teſtes eſſe, cupio. Quod ſtudium meum,* DOMINE, *ſi* TIBI *probabitur, non ſolum voti me compotem factum eſſe, exiſtimabo, cui alii inuideant; ſed etiam, nouo beneficio inſtructus, immortalem deum pie precabor, vt quum ipſe gratiæ referendæ impar ſum, ille in* TE TVAM*que domum illuſtriſſimam*

effundat bonorum copiam, quæ tot tantarumque virtutum præmia poſſunt iudicari. In gente MVNCHHVSIANA, *in qua iure ſuo glorietur Germania, quum decus noſtrum noſtrumque præſidium eſſe voluit ſapientiſſimum numen, nulla certe eſt cauſſa, ſummæ felicitatis, qua illa fruitur, conſtantiam deſperandi. Ita deus* TE *ſeruet*

REGI, *Germaniæ et*

muſis.

AD

AD

LECTOREM BENEVOLVM

ADLOQVVTIO

DOGMATVM hiſtoria, ſiue conſentanea ſint veritati; ſiue eidem aduerſentur, tot tantaque vniuerſæ diſciplinæ ſanctiori adfert præſidia et commoda, vt omni tempore laude digni ſint iudicati, qui in hoc litterarum genere ſtudia ſua collocarunt. Communis hæc quum ſit peritiſſimorum virorum ſententia, vſu quoque et exemplis illuſtribus

bus confirmata, nulla, puto, me opus habere excuſatione, quod ſimile argumentum tractare, mihi ſumſi. *Adoptianorum* nomen licet omnibus, qui diuinioris doctrinæ non ſunt expertes, ſit cognitum ac verſetur nonnumquam in iuuenum ore; paucos tamen, confidentius adfirmo, futuros eſſe, qui dum acrius in hominum genus flagitioſum et nouarum rerum ſtudioſum inuehuntur, quid ſibi velint, aut ipſi ſciant; aut aliis adcurate queant enarrare. Nihilominus ardua ac ſpinoſa eſt illa de adoptione chriſti quæſtio; nec demum CAROLI magni ætate ab Hiſpanis, ingenioſis hominibus, excogitata; aut ab iis tantummodo admiſſa et defenſa, qui hæreſeos infamia notati, vbiuis in erroris ſuſpicionem incidunt. Illuſtres potius nonnulli ciuitatis chriſtianæ doctores, quos honorifico *patrum* nomine ornamus, primi exſtiterunt formulæ auctores, ac licet quidam ex his haud malam ſubiicerent ei notionem; tamen alii, more ſuo, ineptiſſimas animi ſententias voce iſta expreſſerunt et in cauſſa fuerunt, vt eadem miſere vterentur ad nefandos errores aliis commendandos, qui modo de diuinitate chriſti; modo de huma-

humanitatis eius dignitate peſſime ſentiebant. Manifeſtæ imprudentiæ quum dederunt illi ſpecimen, neſcio, quid de doctoribus ſcholaſticis: immo de clariſſimis noſtri coetus theologis ſit ſtatuendum, qui ſibi non temperarunt, quo minus adoptiui nomen, quod religioſæ aures numquam ferent, ad chriſtum transferrent. Ingens ita eſt numerus adoptianorum, maior certe aliorum opinione, qui præter FELICEM *Vrgellitanum* neminem, arbitrantur, tam imprudenter loquutum eſſe.

EX his, ſpero, quemque intelligere, dogma de adoptione omnino dignum fuiſſe, cuius integra contexeretur hiſtoria. Quam quum ipſe conſcribendi, conſilium cepi, viſum fuit, hiſtoricæ artis præcepta diligentius obſeruare: ideo temporis ſequi ordinem: nihil dicere, niſi quod certis teſtimoniis ſcriptorum, quorum iuſta eſt auctoritas, confirmetur: de dictorum ſententia ſedulo diſquirere: controuerſiarum cauſſas inueſtigare: denique, quomodo quæque in vſus noſtros recte conuertantur, oſtendere. Virorum et eruditionis laude et iudicandi vi illuſtrium, qui antea

antea modo hanc; modo illam argumenti mei partem explicarunt, religioni duxi, contemnere penitus labores; ſed euolui eorum monimenta atque ingenue ſignificaui, quæ ex illis deſumſerim. Eadem tamen me non deſcripſiſſe; ſed ex ipſis hiſtoriæ fontibus mea deduxiſſe, videbunt illi, qui noſtras commentationes inter ſe comparauerint. Nec temere adfirmare mihi videor, noua, ſaltem aliis incognita, a me protrahi in lucem; nec dubito, in numerum eorum referre, quæ illuſtri *Hiſpaniæ ſacræ* *) ſcriptori debeo, a nemine eorum, qui

*) HENRICI FLORI; ſiue, quod alii malunt, FLORESII dum memini, non poſſum mihi imperare, quin adſcribam nonnulla additamenta eorum, quæ a me *cap.* I. §. 18. p. 60 ſqq. de *liturgiæ Mozarabicæ* teſtimoniis de adoptione dicta ſunt. Primum monendum eſſe, duco, in tota illa oratione *Felicis* nomen, num mea; an librarii negligentia, neſcio, expreſſum eſſe, quum *Elipandi* ſcribendum fuiſſet. Hic enim Mozarabes in ſuſpicionem erroris vocauit. Deinde commendanda eſt laudati FLORI *diſſertacion hiſtorico-chronologica de la miſſa antigua de la Eſpanna, concilios y ſucceſſos ſubre ſu eſtablicimiento y mutacion*, quæ exſtat in *Eſpan-*

qui *adoptianorum* res adtigerunt, viſa ac lecta.

QVANTVM humanæ ſortis ferunt rationes, animum, a partium ſtudiis liberatum, vbiuis adhibui. Exemplo ſint, quæ de doctrina *Feliciana* diſputaui. Quum veri exquirendi amore ductus; neque vlla aliorum auctoritate commotus, quæ iſta ætate in vtramque partem ſcripta ſunt, adſidue expenderem, accidit, vt medium tandem tenerem curſum inter binas illas eruditorum ſententias, ſibi inuicem oppoſitas. Sic non potui magiſtros illos adoptionis inter Neſtorianos reiicere; nec ab omni errore abſoluere. Excuſaui illos, ſi qua iniuria illis videretur inferri; condemnaui vero,

Eſpanna ſagrada tom. III. p. 187 ſqq. ac nuper ab illuſtri GESNERO noſtro in *relat. de libris nouis faſcic.* XII. p. 418 ſqq. ſedulo fuit enarrata. In illa §. X. p. 262 ſqq. locum noſtrum adtigit, ſibique placere, confeſſus eſt, criminationem, ELIPANDVM deprauaſſe libros ſcriptos et *adoptionis* ac *adoptiui* voces in locum verborum *adſumtionis* et *adſumti* ſurrogaſſe. Argumentorum, quæ adduxit, magnus eſt numerus; ſed nullum pondus.

vero, quum a veritate declinarent, ceteris quaſi inſciis.

QVOD ſupereſt, TE, LECTOR, rogo, vt ſedulo cogites, me longius ab officina celebri, in qua opuſculum typis fuit deſcriptum, abfuiſſe. Immortalem deum precor, velit efficere, vt quidquid laboris in conſcribendo libello conſumſi, et gloriæ ſanctiſſimi numinis; et aliorum vtilitati ſacrum ſit. Vale mihique porro faue. In academia regia Georgia Auguſta cal. april. ann. reſtitutæ humano generi diuinæ gratiæ,

cIↃ IↃ CC LV.

NOTI-

NOTITIA
SECTIONVM ET NVMERORVM.

CAPVT PRIMVM
QVO HISTORIA ADOPTIANORVM SECVLORVM SEPTEM PRIORVM EXPONITVR.

I. Dicendi argumentum. II. Locus IRENAEI de adoptione. Notatur FEVARDENTIVS. Irenæi in doctrina de chriſto errores. Idem excuſatur. III. EVSEBII de MARCELLO *Ancyrano*, adoptionis patrono, teſtimonium. Quid ſignificet φυσις & θεσις in loco de chriſto. MARCELLI doctrina. EVSEBIVS defenditur contra PETAVIVM. IIII. ARII nefanda doctrina. Locus ATHANASII, ab aliis neglectus. V. Idem ATHANASIVS defenditur. *Diſputatatio in concilio* NICAENO, ei ſuppoſita. VI. MARII VICTORINI de adoptione ſententia. VII. HILARII de eadem effatum. Notantur AGOBARDVS et HINCMARVS. Diſſenſus codicum Hilarii. CVSTANTII et GERMONII pugna. Vera HILARII ſcriptura probatur. Alterum HILARII teſtimonium. VIII. Tertium HILARII teſtimonium. Idem defenditur. VIIII. HIERONYMI locus ex AGOBARDO. Notatur MARTIANAEVS. Laudatur VALLARSIVS. AVDENTII; aut SABBATII libellus, Hieronymo falſo

)( )(

ſalſo adſcriptus. X. BONOSI hæretici doctrina de adoptione. XI. DIODORVS *Tarſenſis* & THEODORVS *Mopſueſtenus*, Neſtoriani. Fauent adoptioni. LEONTIVS male vocatur *Byzantinus*. XII. APOLLINARIS *iunioris* qualis error. Exprobrat orthodoxis adoptionem. GREGORIVS *Nyſſenus* fallitur. Eutychianiſmo fauet. XIII. CYRILLVS *Alexandrinus* fauet adoptioni. Confutantur NAT. ALEXANDER et PETAVIVS. XIIII. LEPORIVS qualem finxerit adoptionem. XV. LEO magnus excuſatur. XVI. ALCIMI AVITI dogma. AGOBARDI locus. Notatur ALEXANDER. XVII. FACVNDVS adprobat adoptionem. Laudatur PETAVIVS. XVIII. Liturgia Mozarabica, num adoptionem defendat? ALCVINI error. Codicum MSS. in Hiſpania fortuna. XVIIII. THEODISCI; ſiue THEODISCVLI hæreſis. Locus BEDAE.

CAPVT SECVNDVM

QVO HISTORIA ADOPTIANORVM SECVLI OCTAVI ET NONI, ID EST, ELIPANDI ET FELICIS EXPONITVR.

SECTIO PRIOR

QVAE HISTORIAM CONTROVERSIAE COMPLECTITVR.

I. Tractandi ordo. II. ELIPANDVS quis fuerit. Quando ſit natus. Eius laudes.

AL-

ALCVINI adulatio. III. FELIX. Num Gallus; an Hiſpanus. Vrgella, qualis vrbs. ADONIS locus corruptus. FELICIS laus. Eius opuſculum contra Saracenos. IIII. Dogmatis de adoptione fons. Num a Mahumedanis repetenda. Notantur BARONIVS, MARIANA et MADRISIVS. Defenditur BASNAGIVS. Presbyteri Cordubenſes num primi inuentores. Bonoſiani erroris auctores veri. Præclarum CAROLI M. iudicium. V. ELIPANDVS ne; an FELIX primus doctrinam tradiderint. FELICIS locus, male intellectus. Controuerſæ ſententiæ coniunguntur. VI. *Epiſtola* ELIPANDI ad FELICEM. Huius *reſponſio*. Vtraque periit. Quando illæ ſcriptæ. Binæ ADRIANI I. *epiſtolæ*. VII. Doctrinæ propagatio. Locus IONAE *Aurelianenſis*. Adoptianorum patroni et ſectatores. ARCARICI epiſtolæ fictæ. VIII. Hoſtes ELIPANDI. ADRIANVS P. R. Codex Carolinus miſere turbatus. Error papalis. VIIII. BEATVS quis fuerit. Colitur vt ſanctus. Eius ſcelerata vita. ETHERIVS epiſcopus. X. Vtriusque ſtudia contra hæreſin. ELIPANDI ad Fidelem epiſtola. XI. Eiusdem ſymbolum fidei. Eſt ſuppoſitum. XII. BEATI et ETHERII locus illuſtratur. Vtriusque *libri duo aduerſus Elipandum*. Quis eos ſcripſerit. MABILLONII error. Variæ opuſculi editiones. XIII. Concilium Narbonenſe. Eius acta. Sunt corrupta. Variæ doctorum de illis ſententiæ. Aera Carolingica. *Imperatoris* titulus; Carolo ante ann.

DCCC tributum. LABBEI & CAVEI error. XIIII. Concilium Ratisbonenſe. Cur Carolus M. controuerſiam cognouerit. Loca veterum de concilio. IONAS *Aurelianenſis* a BINIO male expoſitus. Quæ Ratisbonæ vere geſta ſint. Comitia ibi habita. Diploma Aquileienſe. Carolus concilii præſes. XV. Felicis iter Romanum. Loca hiſtoricorum. ANGILBERTVS quis fuerit. Noua coniectura. XVI. ELIPANDI ad Felicem epiſtola, quando ſcripta. Illuſtratur et emendatur. MADRISIVS laudatur. XVII. ALCVINI itinera in Galliam. Cauſſa tertii. Vaticinium de illo. XVIII. Illuſtriſſimi BVNAVII elegans coniectura. FELICIS ad hæreſin reditus. RICHBODVS *Treuirenſis*. THEODVLPHVS *Aurelianenſis*. ALCVINI et FELICIS mutuæ epiſtolæ. Opuſculum huius deperditum. Controuerſia chronologica dirimitur. XVIIII. Concilium Francofurtenſe. XX. De illo teſtimonia hiſtoricorum. Chronici Moiſſiacenſis deprauationes. XXI. Acta concilii. *a*) ADRIANI I epiſtola ad Hiſpanos. Differentia inter *Hiſpaniam* & GALLICIAM. Quando illa fuerit exarata. XXII. *b*) Libellus epiſcoporum Italiæ. Eſt idem cum PAVLLINI ſacroſyllabo. Huius laus. Variæ & diſcrepantes opuſculi editiones. XXIII. *c*) epiſtola ſynodica epiſcoporum Germaniæ et Galliæ. De illa noua coniectura. XXIIII. *d*) epiſtola Caroli ad Elipandum. Eius ſymbolum. XXV. *e*) canones concilii. Eorum fata. De illis coniectura. XXVI. Additur

ditur his epiſtola ELIPANDI ad Carolum, a FLORO nuper edita. FLORVS reprehenditur. ELIPANDI epiſtolæ ad ſynodum partes. XXVII. Diſputatur de concilii tempore. Diploma Caunenſe. XXVIII. De loco. Palatium Francofurtenſe. De numero præſentium. Locus PAVLLINI illuſtratur. Beneuolentiæ Caroli erga Alcuinum ſpecimen. Notatur MARIANA. XXVIIII. Quis locus fuerit Carolo, et legatis pontificis. ADONIS locus emendatur. XXX. Num ſynodus fuerit vniuerſalis. Rerum geſtarum nexus. XXXI. Confutantur narrationes AVENTINI, PLATINAE, et MARIANAE. XXXII. Concilium Foroiulienſe. Eius acta. Tempus. XXXIII. PAVLLINI libri tres aduerſus Felicem. Eorum chronologia. Fragmentum epiſtolæ eius ad Carolum. XXXIIII. Concilium Toletanum fictum. XXXV. ALCVINI epiſtolæ ad Elipandum, et ad monachos Gothiæ. XXXVI. Eiusdem libri ſeptem aduerſus Felicem. Quando compoſiti ſint. Præfatio operis. Eiusdem epiſtola altera ad Carolum. Tertia epiſtola. XXXVII. BENEDICTI *Anianenſis* ſtudia aduerſus adoptianos. Quatuor eius opuſcula. MABILLONII error. XXXVIII. ALCVINI ad fratres Lugdunenſes epiſtola. XXXVIIII. Concilium Romanum. Actorum eius fragmenta. Celebratum *præcipiente* Carolo. Tempus eius definitur. XXXX. Legatio in Hiſpaniam. Rationes eius veræ. Aliorum coniecturæ. XXXXI. Conuentus Aquisgranenſis.

ADONIS teſtimonium deprauatum. XXXXII. FELICIS confeſſio fidei. XXXXIII. ELIPANDI ad Alcuinum epiſtola. ALCVINI libri quatuor aduerſus Elipandum. Eiusdem epiſtola ad virginem. XXXXIIII. Fabula de ELIPANDI poenitentia confutatur. XXXXV. FELICIS acta Lugdunenſia. Eius mors. AGOBARDI liber aduerſus Felicem.

SECTIO POSTERIOR

QVA DE DOCTRINA ELIPANDI ET FELICIS DISQVIRITVR.

I. Inſtituti ratio. II. Quid FELIX de imaginibus ſtatuerit. DVNGALI locus, ab aliis omiſſus. III. Quis Hiſpanos adcuſauerit Arianiſmi. Epiſtola Socinianorum in Anglia ad legatum Maroccanum. IIII. Num de diuinitate Spiritus ſancti peruerſe docuerint. V. Incuſantur Neſtorianiſmi. Quinam calumniam ab illis depulerint. VI. Quis controuerſiam dixerit λογομαχικην. Notantur veterum loca, quæ his fauent. VII. Proponuntur de doctrina Elipandi et Felicis hiſtoricorum effata. VIII. Laudatur illorum orthodoxia in doctrina de diuina chriſti natura, de trinitate, de vera chriſti humanitate, de humanæ chriſti naturæ ἀναμαρτησια, de perſona chriſti, de communicatione ἀποτελεσματων, de eccleſia et papa. VIIII. Contra enarrantur eorum errores de adoptione filii Dei, VIIII. de regeneratione chriſti, X. de

chriſto,

chriſto, deo nuncupatiuo, XI. de ſeruitute chriſti, XII. de ignorantia chriſti. XIII. Theologiæ Felicianæ ſumma.

CAPVT TERTIVM

QVO HISTORIA ADOPTIANORVM INDE A CAROLI M. AETATE AD NOSTRA TEMPORA EXPONITVR.

I. Argumentorum nexus. II. OECVMENIVS adoptioni eſt addictus. III. Item EVTHYMIVS *Zigabenus*. IIII. Et FOLMARVS. Contradicunt ei ADAMVS *Reicherspergenſis* et GERHOHVS. Locus GERHOHI illuſtratus. Num GILBERTVS *Porretanus* fuerit adoptianus. STEVARTIVS fallitur. GERHOHVS Lutheranus. V. Fata doctrinæ huius inter ſcholaſticos. Quid ſenſerint PETRVS *Lombardus*, THOMAS *Aquinas*, IOANNES DVNS *Scotus*, DVRANDVS a S. PORTIANO, IOANNES MAIOR, alii. VI. Diſſidia pontificiorum. VII. GEORGII CALIXTI programma. Eius ſcopus. Vera ſententia. DORSCHEVS quid obiecerit. Alii hoſtes. VIII. REINBOTHII et DANNHAVERI de hac re ſcripta et opiniones. VIIII. IO. TOB. MAIOR defendit adoptionem. Quænam ſit eius ſententia. THOM. REINESII epiſtola. Eius conſilium, BARONIVM confutandi. MAIORIS conſtantia. X. Quinam ex noſtris theologis adoptionem reiecerint. Commendatur FORBESIVS. XI. Socinianorum de adoptione nugæ.

CAPVT

CAPVT QVARTVM

QVO DOCTRINA ADOPTIANORVM DIIVDICATVR.

I. Propoſiti ratio. II. Status controuerſiæ. Quisnam ſit filius naturalis, quisne adoptiuus. III. Confutatur adoptio Ariana. IIII. Chriſtus homo eſt filius dei. V. Refellitur adoptio Neſtoriana. VI. Concreto humanæ naturæ competit filiatio per vnionem perſonalem. VII. Quomodo ſecus ſenſerint *Feliciani*, *Calixtini* et MAIOR. Quid inter illos ſit discriminis. Auctoritas concilii Francofurtenſis. VIII. Cur nulla placeat adoptio. Opuſculi clauſula.



HISTORIA
ADOPTIANORVM.

CAPVT I.

QVO

HISTORIA ADOPTIANORVM SECVLORVM SEPTEM PRIORVM EXPONITVR.

I.

Quo certius eſt, omnem ſalutis noſtræ conſtantis et perpetuæ ſpem in ſalutari de chriſto θεανθρώπῳ, eoque, vt repararetur amiſſa a nobis gratia cæleſtis, cruenta morte adfecto, eſſe repoſitam; eo minus credimus, quenquam mirari, quid ſit, quod in ea explananda, confirmanda defendendaque omni tempore ſanctioris ordinis doctores laudabilem collocauerint operam. Id vero miramur, nonnullos ex his eo progreſſos eſſe, vt varias proferrent de argumento, quo nihil ſanctius, nihil ſalutarius, nihil deni-

que ſublimius poteſt cogitari, quæſtiones, non ſolum inanes ac futiles; ſed etiam ita comparatas, vt incautos homines ad errores deducerent grauiſſimos apertisque dei effatis contrarios. Quum ſatius fuiſſet, credere ea, quæ ſummum numen de filio ſuo, æternæ noſtræ felicitatis auctore, litteris conſignanda curauit; quam indagare res ſupra ingenii humani vires poſitas: vix imprudentiæ notam illi effugient, qui dum ſubtilius de illis diſputarent, ſæpenumero peruerſarum opinionum corruptelis eas deprauarunt. Luculenter hæc dogmatis confirmantur exemplo, de quo omnis noſtra eſt inſtituta diſceptatio. Satis enim eſt ad conſequendam futuram illam felicitatem, quæ nec mente concipi, nec verbis poteſt exprimi, perſuadere ſibi firmiſſime et penitus in animum demittere, Ieſum Nazarenum, a Matia virgine in lucem editum, verum eſſe filium dei: duplicem ideo in eo ineſſe naturam, et diuinam et humanam: vtramque denique arctiſſimo ὑποςάσεως vinculo ita eſſe coniunctam, vt alteram ab altera nefas ſit diuelli; aut ſeparari. Egregie ergo ſibi aliisque veteres doctores conſuluiſſent, ſi ſimplicem integramque veritatem mente animoque amplexi, ſeſe ab inueſtigandis huius μυςηρίε rationibus prorſus abſtinuiſſent; nec nouas ac ſæpenumero ad explicandas, quas rectius conceperant, ſententias, prorſus ineptas excogitaſſent loquendi formulas; nec ſubtiles ac difficiles protuliſſent

de

de hac re quæſtiones. His enim effecerunt, vt alii nanciſcerentur occaſionem, de primario doctrinæ chriſtianæ capite peruerſe ſentiendi: ad oſtendendam ingenii vim in vtramque partem ſatis impie diſputandi ac ciuitati chriſtianæ ingens adferendi detrimentum. Cuius generis omnino fuiſſe credimus quæſtionem, num chriſtus homo filius dei ſit adoptiuus; an naturalis? inter viros doctos omni tempore ita controuerſam, vt nec noſtra ætate eorum omnium, qui chriſtum dei filium colunt, de illa ſit conſenſio. Quamuis enim ſeculo maxime a partu virginis octauo, quum ELIPANDVS ac FELIX acrius ſuam de chriſto dei filio adoptiuo defenderent opinionem ac latius diſſeminarent, de hoc argumento fuerit diſputatum; euidens tamen eſt, illos neutiquam huius formulæ ac errorum, qui ex inepta formula orti ſunt, fuiſſe auctores; ſed ante iſtud æuum extitiſſe grauiſſimos chriſtianæ doctrinæ magiſtros, perinde ac doctores prauos atque hæreticos, qui idem ſentirent: ſaltem eadem vterentur *filii dei adoptiui* formula, quum de chriſto homine loquerentur. Hanc ob cauſam, vt ſatisfiat, quod ſuſcepi, Adoptianorum hiſtoriam enarrandi muneri, arduo quidem ac difficili; ſua tamen iucunditate atque vtilitate mihi commendato, ſentio neceſſitatem mihi eſſe impoſitam, paullo altius rem ordiendi, dogmatisque de chriſto filio dei adoptiuo origines ab iſta ætate, qua inuentum fuit, repetendi

ac dilucide demonſtrandi, quomodo ſingulis fere æræ chriſtianæ ſeculis fuerit propagatum.

II.

Dicendi ergo initium mihi a ſeculo poſt reſtitutam a chriſto noſtram ſalutem *ſecundo* ducendum eſſe videtur, quod præ aliis IRENAEVS, Lugdunenſium ſacrorum antiſtes, doctrinæ virtutisque fama illuſtrauit. Exſtat illius effatum, cuius auctoritate nonnulli ad id adducti fuere, vt primum eum dogmatis de chriſto filio dei adoptiuo eſſe auctorem, ſibi perſuaderent. Verba IRENAEI, a vetere interprete latine expreſſa, hæc ſunt [a]): *propter hoc verbum dei homo, et qui filius dei eſt, filius hominis factus eſt, vt adoptionem percipiens, fiat filius dei;* græca vero, quæ THEODORETVS [b]) benigniori fato nobis ſeruauit, ita ſe habent: *ἐις τȣ̃το γὰρ ὁ λόγος ἄνθρωπος, ἵνα ὁ ἄνθρωπος, τὸν λόγον χωρήσας, καὶ τὴν υἱοθεσίαν λαβὼν, υἱὸς γένηται.* Primus, quantum ſcimus, locum hunc notavit DESIDERIVS ERASMVS *Roterodamus* [c]), ac dum hæc ſcripſit: *eodem in loco ſanctus Irenæus dicit, chriſtum iuxta humanam naturam adoptatum, vt fieret filius dei,* haud obſcure ſignificauit, quamnam illius eſſe ſententiam, cenſeret. Poſt ERASMVM, FRAN-

a) *Contra hæreſes libr.* III *cap.* 19 p. 212 edit. MASSVETI.
b) *Dial.* I p. 35 *tom.* IV *oper.* edit. Pariſ.
c) *Argument. in libr.* III *Irenæi.*

FRANCISCVS FEVARDENTIVS [d]) bene perſpexit, omnino teſtimonium IRENAEI hanc habere difficultatem, vt niſi commoda interpretatione ea explicentur, illum in erroris vocemus ſuſpicionem. Prudenter tamen ac dubitanter de hac re dixit ſententiam: *ſupereſt ergo, vt his aut voce adoptionis, quam vſurpat Irenæus, eam gratiam, donum beneficiumque intelligamus, quibus in vnitatem perſonæ, ſine vllis ſuis præcedentibus meritis, humanam noſtram naturam ex virgine filius dei adſumſit; aut quod acutis et doctis viris longe rectius videtur, illa Irenæi verba non ad ipſum chriſtum, ſed ad cœtum piorum hominum referenda ſunt, quos paſſionis, ſanguinis et mortis ſuæ beneficio atque efficacitate, in adoptionem filiorum dei miſericorder aſſumſerit.* Duplicem ergo monſtrat viam, ad abſoluendum IRENAEVM a prauæ opinionis ſuſpicione. Quæ primo loco commendat, friuola ſunt atque in pium virum admodum iniurioſa. Hæc enim ſi admittantur, neceſſe eſt, vt illum chriſtum verum eſſe deum negaſſe, ſtatuatur. Quum ſeruatorem *per adoptionem filium dei factum eſſe*, aperte tradit, ſi adoptionem iſtam cum FEVARDENTIO de natura humana, quam ſibi adiunxit, explices, ea, quæ de *filio dei* addidit, aut ad naturam eius humanam, aut ad diuinam ſunt referenda. Atqui de humana non vult Gallus ea accipi, ſiquidem negat

d) *Adnot. in h. l.* a MASSVETO editioni IRENAEI adiect. p. 134. 135.

gat id, quod conſequens eſt, vt chriſtum hominem filium dei eſſe adoptiuum, IRENAEVS crediderit, adeoque fateri eum oportet, Lugdunenſi doctori hanc fuiſſe opinionem, chriſtum cœpiſſe eſſe filium dei, cum a Maria virgine ſuſciperetur in lucem, eumque, ſi tum cœperit eſſe filius dei, antea nec dei filium, nec deum exſtitiſſe. Quare non miror, interpretationem iſtam, a vera IRENAEI ſententia maxime alienam, a nemine fuiſſe probatam. Poſterior explicatio, qua IRENAEVM de noſtra adoptione hæc locutum eſſe, coniicitur, eruditis viris magis placuit. Quamuis GABRIEL VASQVEZIVS e) ſecus ſentiat, atque IRENAEVM *omnino ſententiam de adoptione* humanæ chriſti naturæ adprobaſſe; *alium* vero *ſenſum extortum eſſe*, grauiter pronuntiauerit; oppoſuit tamen ei ſeſe THEOPHILVS RAGNANDVS f): *pro ſancto Irenæo*, inquit, *nulla talis excuſatio eſt neceſſaria. Aperte enim per eum, quem adoptionem recipere dicit, deſignat vnumquemque noſtrum; non autem chriſtum, vt aduerſarius imaginatur.* Eidem ſententiæ ſubſcripſit IOANNES FORBESIVS A CORSE g), ac quum ERASMO potiſſimum contradiceret,

e) In III *part. Thom. quæſt.* XXIII *diſſ.* 89 *cap.* 15 *Tom.* I p. 716.

f) *Tr. de attributis chriſti domini ſect.* II *cap.* I §. 98 *tom.* II *oper.* p. 47.

g) *Inſtruct. hiſt. theol. libr.* VII *cap.* 7 §. 4 *tom.* II *oper.* p. 275 ſq.

ret, his vſus eſt verbis: *ſed Eraſmus, alioquin acutus æſtimator, hic incauta iudicii præcipitatione lapſus eſt; nam adoptionem Irenæus non chriſto; ſed nobis per chriſtum tribuit: ſicut caput illi attente legenti fiet manifeſtum.* Quæ extremo loco monet vt rectius capiantur, omnisque controuerſia rite queat diiudicari, non poſſum non hæc IRENAEI verba, quae teſtimonium noſtrum conſequuntur, recitare: *non enim poteramus aliter incorruptelam et immortalitatem percipere; niſi adunati fuiſſemus incorruptelæ ac immortalitati. Quemadmodum autem adunari poſſemus incorruptelæ et immortalitati; niſi prius incorruptela et immortalitas facta fuiſſet id, quod et nos: vt abſorberetur, quod erat corruptibile, ab incorruptela, et quod erat mortale, ab immortalitate, vt filiorum adoptionem perciperemus.* In his quum præcipuum opinionis huius, qui huic fauent, præſidium poſitum eſſe, autumant, omnes conſentiunt, IRENAEVM nihil aliud tota hac oratione ſignificaſſe, quam filium dei ea de cauſſa factum eſſe hominem, vt nos adoptionis frueremur beneficio. Ita cenſuerunt: DIONYSIVS PETAVIVS [h]), NATALIS ALEXANDER [i]), RENATVS MASSVETVS [k]), atque ex noſtris GEORGIVS CALIXTVS [l]), vt alios ſilentio prætereàm. At

 vero,

h) *Dogmat. theol. de incarnat. libr.* VII *cap* 4 §. 1 *tom.* V p. 336.
i) *Hiſtor. eccleſ. ſec.* VIII *diſſ.* 7 §. 11 *tom.* V p. 804.
k) *Not. in Irenaei loc. cit.* p. 212.
l) De *perſona chriſti* p. 89 ſq.

vero, ſi quid mihi videatur, ingenue dicere licet, tot præſtantiſſimorum virorum autoritate, quamuis de illa nihil detrahere ſit animus, me non commoueri patiar, vt cum illis IRENAEI verbis vim inferam, ac contra claram eius ſententiam pugnem, quam verbis illis expreſſit. Etenim dum ſine partium ſtudio, quæ ille ſcripſit, mecum reputo, aut cœcum me eſſe oportet; aut confiteri, eum verba: υἱοθεσίαν λαβὼν, quæ in controuerſiam vocantur, non de chriſtianis piisque hominibus; ſed de ipſo chriſto pronuntiaſſe. Quum docti viri conſentiunt, IRENAEVM monumenta ſua exaraſſe græce m), graues ſane ſunt cauſſæ, cur in hoc teſtimonio explicando potius græca, quæ THEODORETVS exhibet; quam latinam eorum verſionem, ſequiendum ſit; niſi malis de THEODORETI fide derogare. Hunc de ſuo nonnulla adieciſſe, ſuſpicatus eſt PETAVIVS; ſed id de noſtro effato dici nequit, ſiquidem græca cum latinis ita conueniunt, vt leuiſſimum inter ea ſit diſcrimen. Attente nunc velim quemque legere hæc verba: εἰς τοῦτο γὰρ ὁ λόγος ἄνθρωπος, ἵνα ὁ ἄνθρωπος τὸν λόγον χωρήσας, καὶ τὴν υἱοθεσίαν λαβὼν υἱὸς γένηται θεοῦ. Annon manifeſtum eſt, poſterioris orationis partem

m) Legas eumdem, quem laudaui MASSVETVM *diſſ.* II *in Irenæum* §. 57 p. 99 ſqq. REMIG. CEILLER *in hiſtoir. generale des auteurs ſacres et eccleſiaſtiques*, tom. II p. 197, et venerandum patrem *in hiſt. eccleſ. nou. teſt. Sec.* II *cap.* I. 8. II p. 624.

tem vnam eamdemque complecti propoſitionem, cuius, vt philoſophorum vtar formulis, ſubiectum vox ὁ ἄνθρωπος; prædicatum vero υἱὸς θεοῦ γένηται conſtituant. De *homine*, quem chriſtum eſſe, nemo negauit, bina et inter ſe apta et arctiſſimo coniungendi vocis vinculo connexa, adfirmat: alterum, humanam chriſti naturam cum diuina mixtam n); alterum, eum fuiſſe adoptatum; vtrumque vero eo conſilio addit, vt explicet, quonam modo factum ſit, vt chriſtus homo eſſet filius dei. Niſi omnia me fallant, ſatis perſpicue IRENAEVS ſignificat, chriſti humanam naturam, facta inter illam ac diuinam vnione, quam inepte per χώρησιν deſignat, a deo fuiſſe adoptatam, ideoque eueniſſe, vt chriſtus homo fieret filius dei; ſiue potius filii dei nomen, dignitatem ac iura conſequeretur. Neque ea quæ inſequuntur, contra hanc

n) Hæc IRENAEI ſententia manifeſto erronea eſt, ſiue graeca, ſiue latina admittantur. THEODORETVS enim eam expreſſit per χώρησιν; latinus interpres per *miſcendi* vocabulum. At quis rerum chriſtianarum tam expers ſit, vt ignoret, vtramque formulam vnioni vtriusque chriſti naturæ declarandæ prorſus ineptam eſſe, hincque alteram in concilio Epheſino, tanquam Neſtoriano errori conſentaneam; alteram in concilio Chalcedonenſi, quod Eutychianiſmo faueret, fuiſſe damnatam, et contra eam ſtatutum, duas in chriſto naturas ἀχωρίστως et ἀσυγχύτως, id eſt, *ſine mixtione* eſſe coniunctas. Conf. praeter innumeros alios IO. FRANC. BVDDEVM *inſtit. theol. dogm. libr.* IV *cap.* 2 §. 8.

hanc ſententiam pugnant; ſed confirmant potius illam, ſiquidem manifeſto docent, inſtitui ab IRENAEO adoptionis chriſti cum noſtra comparationem. Verba enim: *niſi prius incorruptela et immortalitas facta fuiſſet id, quod et nos*, id eſt, deum verum noſtram naturam ſibi adiunxiſſe, cum his: *vt abſorberetur, quod erat corruptibile ab incorruptela, et quod erat mortale, ab immortalitate*, coniuncta, idem ſignificandi vim habent, quippe humanæ chriſti naturæ per vnionem cum diuina acceſſiſſe attributa, infinitæ alioquin propria, hocque factum eſſe, quod addit, *vt filiorum adoptionem perciperemus*. Verum ergo eſt, loqui IRENAEVM de adoptione noſtra; ſed ita loqui, vt eam de adoptione chriſti, ante facta, ortam eſſe concludatur. Quale ſit adoptionis genus, de quo hæc fuerint pronuntiata, paucis declarabo. Certum eſt, diſcerni a noſtro naturam humanam adſumtam ab adoptione; neque id eget probatione, vnionem vtriusque naturæ conſtitui adoptionis principium. Quare non dubito, *adoptionem* IRENAEI eandem fere eſſe cum *communicatione idiomatum*, quæ in ſcholis noſtris ita explicatur, vt vtrique naturæ ea, quæ alterutri fuerint propria, facta ſit communio, hincque ex illius ſententia quum *filii dei* nomen proprio iure ad diuinam pertineat, illud ad humanam eſſe translatum, hocque *adoptionis* voce ſignificari. Ita licet minus apte rem ex-

expreſſerit; erroris tamen grauioris adcuſari nequit IRENAEVS.

III.

Sub initio ſeculi quarti MARCELLVM *Ancyranum* doctrinæ de adoptione chriſti addixiſſe animum, EVSEBIVS *Cæſareenſis* tradit. Hic enim quum MARCELLVM reprehenderet, quod de chriſto non filii dei; ſed tantummodo *verbi* nomen vſurpare conſueuerit, argumentum quoddam, quo is vſus eſt, adfert, ita expreſſum o): καὶ διὰ τοῦτο οὐχ υἱὸν θεοῦ ἑαυτὸν ὀνομάζει, ἀλλὰ πανταχοῦ υἱὸν ἀνθρώπου, ἵνα διὰ τῆς τοιαύτης ὁμολογίας, θέσει τὸν ἄνθρωπον, διὰ τῆς πρὸς αὐτὸν κοινωνίας, υἱὸν θεοῦ γενέσθαι παρασκευάσῃ. Verba hæc latinus quidem interpres, quem RICH. MONTACVTIVM eſſe ferunt, ſic conuertit: *e. hanc ipſam ob rationem, nullibi ſe filium dei nominat; vbique autem filium hominis, vt per hanc confeſſionem notum faceret, eum, qui reuera erat filius hominis, propter communionem illam, filium dei conſtitutum;* at manifeſtum eſt, eum MARCELLI ſententiam haud eſſe adſequutum. Melius tamen eam alibi p) explicauit, dum MARCELLVM ſignificaſſe, ſcribit: τὸν ἄνθρωπον, *nempe* φύσει, θέσει *factum eſſe filium dei propter illam* κοινωνίαν. Quod ſi ergo cogitamus, hoc eſſe verborum φύσεως

o) *De eccleſ. theol. libr.* I *cap.* 16 p. 77 editionis Pariſienſis, quæ vna cum eiusdem Euſebii demonſtratione euangelica MDCXXVIII prodiit.

p) *Not. ad* h. l. p. 19.

φύσεως et θέσεως, ſi de filiis dicantur, diſcrimen, vt illud ad filios *naturales*, hoc, quia *adoptionis* indicandae vim habet, ad *adoptiuos* referatur [q]), neminem dubitare, confidimus; quin MARCELLVS chriſtum filium dei dixerit adoptiuum. At vero cur ita ſtatuerit, quoue modo ſententia eius ſit capienda, adcurate definire, eo difficilius; quo magis eruditi viri de vniuerſa MARCELLI doctrina diſſentiunt. Etenim qui cum EVSEBIO, BASILIO, THEODORETO, EPIPHANIO, CHRYSOSTOMO aliisque ſibi perſuadent, MARCELLVM noſtrum in eodem fuiſſe errore cum Sabellio: negaſſe, chriſtum eſſe ὑπόστασιν diuinam, a patre diuerſam: dixiſſe eum ἀγέννητον, id eſt, a patre ab æterno non genitum: ac tradidiſſe, quod cœperit eſſe filius dei, quum humanam ſibi iungeret naturam [r]); non poſſunt ſibi temperare, quin formulam, qua chriſtum eſſe θέσει filium dei docuit MARCELLVS, ita explicent, vt ille chriſtum verum eſſe filium dei, negauerit. Sed qui

q) Bene hoc notauit DIONYS. PETAVIVS *dogm. theol. de incarnat. libr.* VII *cap.* I §. 3 p. 326. Conſentiunt ſcriptores Græci inferioris ætatis, qui θετὸς πατὴρ, θετὴ μήτηρ, hisque ſimilia frequenter dixerunt. Quam in rem conſulas CAROLVM DV FRESNE *gloſſ. Græc. tom.* I p. 493, et virum celeberrimum IOANNEM ALBERTI *not. in Heſych. tom.* I p. 1705.

r) Erroris huius Marcellum adcuſat EVSEBIVS *contra Marcell. libr.* I *cap.* 1 p. 6, *lib.* II *cap.* 10. 17. 18 et alibi.

qui a partium ſtudiis animum auocare ſolent cunctaque, quæ MARCELLVS ipſe dixit, non quæ dixiſſe fertur ab hoſtibus, ſedulo expendunt [s]), facile intelligunt, eum neutiquam chriſtum eſſe deum, negaſſe, ideoque ea, quæ de filio adoptiuo pronuntiauit, ad humanam naturam tantum eſſe referenda. Maximum omnis controuerſiae momentum in hac MARCELLI ſententia poſitum eſſe videtur, qua chriſtum θέσει dei filium, διὰ τῆς πρὸς αὐτὸν κοινωνίας, pronuntiauit. Miror ſane, doctos viros, qui in explicandis MARCELLI dogmatibus ſtudia ſua collocarunt, neglexiſſe, ad eam animum aduertere. Quod ſi verba iſta de vnione ὑποςατικῇ et, quæ ex hac orta eſt, idiomatum vtriusque chriſti naturæ communione, interpretari liceat, nihil ſane eſt, quod in MARCELLO iure reprehendas, præter nouum, reique ſignificandæ ineptum θέσεως nomen. Multo minus ferenda eſt DIONYSII PETAVII [t]) coniectura,

s) Conſ. BERNH. DE MONTFAVCON in *diatr. de cauſſa Marcelli Ancyrani*, quae eiusdem *collectionis nouæ patrum et ſcriptorum græcorum tomo* II p. 51 eſt præmiſſa, *cap.* III §. 3. 4: aliosque, qui de hæreſi Marcelli expoſuere, laudatos a venerando patre in *hiſt. eccleſ. nou. teſt.* p. 1515.

t) *Dogmat. theol. tom.* V p. 336 Ita ſenſiſſe PETAVIVM, nemini mirum videbitur; niſi ignorauerit prorſus, quam iniquum erga EVSEBIVM vbiuis prodiderit animum, iure ſuo reprehenſus a GVIL. CAVEO in luculenta *diſſ. de Arianiſmo Euſebii* cum duabus aliis *hiſtor. litt. ſcript. eccleſ. tom.* II adiuncta, p. 45.

ra, EVSEBIVM ipſum eodem fuiſſe captum errore, cuius MARCELLVM inſimulat, ita vt perinde ac poſtea Neſtorius diuinam ab humana ſepararet natura. Bis peccat PETAVIVS, quum EVSEBIVM in ſuſpicionem prauæ opinionis vocare ſibi ſumit, licet nullum rei proferat argumentum; ac quod *κοινωνίαν* MARCELLI eamdem eſſe cum Neſtoriana, perperam ſcribat.

IIII.

De ARIO eiusque ſectatoribus eo minus dubitandum eſt, quod adoptiui filii dei nomine ſæpenumero vſi ſint, quo adcommodatius illud fuit ad ſceleſtam doctrinam explicandam. Quæ quum a tot præclare doctis viris [u]) enarrata atque ex præſtantiſſimis vetuſtatis monimentis eruta fuit, commode eodem labore poſſe ſuperſedere mihi videor. Satis enim mihi eſt, rite comprobare, ARIVM chriſtum habuiſſe et adpellaſſe filium dei non naturalem; ſed adoptiuum, nec, quod omnes norunt, retuliſſe adoptionem ad humanam; ſed ad diuinam ipſam naturam, ad quam oppugnandam, quicquid in eo erat ingenii, aut doctrinæ, aut diligentiæ, immani ſcelere contulit. Is ergo quum animum induceret ac publice profiteretur, chriſtum non eſſe filium dei *ὁμοούσιον*, ex ſubſtantia patris ab æterno

u) Notitiam eorum ſuppeditant. IO. ALB. FABRICIVS *biblioth. Græc. vol.* VIII p. 308 ſqq. et ven. pater in der *Einleit. in die Religionsſtreit.* auſſer der E. L. K. *vol.* IV p. 96.

æterno genitum, eiusdemque cum patre dignitatis et gloriæ, niſi omnia me fallant, initio ſeſe ab *adoptionis* nomine callide abſtinuit. Legimus enim, eum ſententiam ſuam de grauiſſimo omnium doctrinæ chriſtianæ capite, ita declaraſſe: οὐκ ἔστιν ἀληθινὸς θεὸς ὁ χριστὸς, ἀλλὰ μετοχῇ καὶ αὐτὸς ἐθεοποιήθη, *chriſtus non eſt deus verus; ſed participatione et ipſe deus factus eſt* [v]), et alibi [x]): οὐ γάρ ἐστι τοῦ πατρὸς ἴδιον, καὶ φύσει γέννημα ὁ λόγος, ἀλλὰ καὶ αὐτὸς χάριτι γέγονεν. ὁ γὰρ ὢν θεὸς τὸν μὴ ὄντα υἱὸν πεποίηκε, τῇ βουλῇ, ἐν ᾗ καὶ τὰ πάντα πεποίηκε καὶ ἐδημιούργησε καὶ ἔκτισε καὶ γίνεσθαι ἠθέλησε, *non enim verbum proprius eſt et naturalis patris fetus; ſed gratia id illi quoque tributum eſt. Deus enim, qui ſemper eſt, filium, qui non erat, eadem voluntate, qua cetera omnia fecit, produxit, creauit et exiſtere voluit.* Qui hoc paullo curatius expenderit, facile intelliget, ARIVM non ſatis caute hæc pronuntiaſſe. Certum eſt, eum nihil de υἱοθεσίᾳ loquutum eſſe; at fingit υἱοποίησιν, quam quum de generatione non vult accipi, non poteſt ea non idem ſignificare, atque *adoptio*. Elegans huc ſpectat

v) Ex ARII *Thalia* hæc verba recitauit ATHANASIVS *orat.* I *contra Arian. cap.* VIII *tom.* I *oper.* p. 413 edit. Benedictinor.

x) Apud ATHANASIVM *epiſtol. ad epiſcopos Aegypti et Libyæ cap.* XII *tom.* I *oper.* p. 282.

ſtat locus ATHANASII y), ab aliis, quantum ſcio, non notatus, quo contra Arium ita diſputat, vt cogat eos confiteri, chriſtum perinde ac quemlibet hominem, qui cum deo reconciliatus fuit, eſſe filium eius adoptivum. Non nego, orationem illam grauem et doctam, quam, quum nimis longa ſit, integram recitare non licet, mihi coniiciendi præbuiſſe rationem, ARIVM conſulto initio *adoptionis* nomine numquam vſum eſſe, licet nouis illis formulis, quas excogitauerat, chriſtum χάριτι, *gratia*, μετοχῇ, *participatione*, μετουσίᾳ, *coexſiſtentia* eſſe filium dei et θεοποιηθέντα, *deum factum*, non genitum, eamdem rem ſignificauerit. Etenim eum poſtea ſibi non temperaſſe, quominus vel *adoptionis* vocem vſu reciperet, alia eius verba, quorum itidem ATHANASIVS cuſtos eſt z), abunde teſtantur: οὐκ ἔστι, inquit, κατὰ φύσιν, καὶ ἀληθινὸς τοῦ θεοῦ υἱὸς, κατὰ ΘΈΣΙΝ δὲ λέγεται καὶ τοῦτος υἱὸς ὡς κτίσμα, *non eſt ſecundum naturam ac verus dei filius, ſed per adoptionem hic quoque filius dicitur, vtpote creatura.* Quare recentiores Ario nullam intulere iniuriam, qui eum horrendi erroris adcuſarunt, quo chriſtum filium dei adoptiuum eſſe, ita ſtatuitur, vt diuina eius natura per id tollatur. Nihil addimus, niſi ea, quae de hac

y) *Epiſt. de decret. Nicæn. Synodi cap.* VI *tom.* I *oper.* 213.

z) Epiſtol. de ſentent. Dionyſii cap. XXIII. tom. I oper. p. 259.

hac ARII ſententia diximus, confirmari, et illuſtrari variis antiquiorum chriſtiani cœtus doctorum effatis, contra Arianos prolatis, quibus ſedulo demonſtrarunt, chriſtum non per adoptionem; ſed per generationem eſſe dei filium. Ex his nominaſſe ſufficiat HILARIVM [a]) et FAVSTINVM [b]); alios vero eo lubentius prætermitto, quod pugnat contra inſtituti mei rationes, fuſius hac de re diſceptare.

V.

ATHANASIVS quamuis in explicanda, comprobanda, ac defendenda vera de chriſto doctrina confutandisque eorum, qui contra eam pugnarunt, commentis, totam conſumſerit vitam ac maximi de chriſto recte ſentiendi, ſtudii conſequutus ſit laudem; nihilominus non potuit erroris Adoptianorum effugere offenſionem. Nec negare libet, circumferri ab eo dicta, quibus alii decipiantur. Ita enim ad hæc, quæ ARIVS ex eo rogaverit: *μὴ ἄλλος ἔστιν ὁ υἱὸς*, *numquid alius eſt filius?* ATHANASIVS [c]) reſpondiſſe, dicitur: *υἱὸς μὲν ἀληθινὸς τοῦ θεοῦ εἷς τυγχάνει ὁ λόγος καὶ θεός. ἔστι δὲ καὶ ὡς ἄλλος υἱὸς*, ʽΥΙΟΠΟΙΗ-

a) de *trinit. libr.* VI *cap.* 25 p. 895 *oper.* edit. Benedict. et *libr. contra Conſtant. imp.* p. 1244.

b) *libr. contra Arianos, tom.* V *bibl. max. part.* 2 Lugdun. p. 639.

c) Exſtant hæc verba in ATHANASII *diſputatione habita in concilio Nicæno cantra Arium cap.* XXVIII *tom.* II *oper.* p. 219 edit. Benedictinor.

ΘΕΙ'Σ διὰ τȣ͂ ναȣ͂ τȣ͂ σώματος ἀυτȣ͂, τȣ͂ κυρίȣ ἡμῶν Ἰησȣ͂ χριςȣ͂, *verus quidem filius dei vnus eſt verbum et deus. Eſt autem velut alius filius adoptatus per templum corporis ipſius, domini noſtri Ieſu Chriſti.* Sed falſam eſſe criminationem, contra ATHANASIVM oblatam, facile cognoſcimus, ſi reputamus, deſumta hæc eſſe ex libello, cuius nulla eſt auctoritas, nulla fides. *Dialogum* enim, quo iſta continentur, inter monimenta eſſe numerandum, quæ ATHANASII nomen mentiuntur; nec ſine cauſa, vt verbis GVILIELMI CAVEI d) vtar, *figmentum monachi cuiusdam delirantis ſequioris æui* haberi, inter omnes noſtro æuo conuenit. Legas CASIMIR. OVDINVM e), monachos Benedictinos f), REMIG. CEILLERVM †), IOANN. ALB. FABRICIVM g), IOANN. FRANCISC. BVDDEVM h) aliosque i).

VI.

d) *Hiſtor. litterar. ſcript. eccleſ. tom.* I p. 194.

e) in *ſupplem. ſcript. eccleſ. Bellarmin.* p. 31 *et comment. de ſcriptor. eccleſ. tom.* I. p. 330.

f) in *admonitione*, huic *diſputationi* præmiſſa *loc. cit.* p. 205.

†) *Biblioth. gener. des auteurs ſacr. et eccleſ. tom.* V p. 283.

g) *Biblioth. græc. vol.* V p. 309.

h) *Iſagog. in vniuerſ. theol. libr.* II *cap.* 2 §. 4 p. 402.

i) Aliud ATHANASII effatum a FELICE *Vrgelitano* olim excitatum, quaſi doctrinæ eius fauere, hoc loco lubentes prætermittimus ſiquidem ad hunc locum non pertinet. Conſule hanc in rem

VI.

Maiori ergo iure in hunc cenſum venit FABIVS MARIVS VICTORINVS, ſcriptor ſaeculi quarti, ſumma laude eloquentiae diligentiaeque, in vindicanda contra Arianos doctrinae ſalutaris veritate collocatae illuſtris, qui apertis conceptisque verbis de chriſto ſcripſit [k]): *non ſic filius, quemadmodum nos. Nos enim adoptione filii; ille natura. Etiam quadam adoptione filius et chriſtus; ſed ſecundum carnem*, atque oraculum diuinum, a Davide recitatum: *ego hodie genui te* [l]), adiecit. Num ſatis adcurate de adoptione ſententiam VICTORINVS effato iſto comprobare, ſibi ſumſerit; nec ne, alibi diſpiciendi erit locus: ſufficit, eum diſtincte ac definite tradidiſſe, chriſtum, ſi diuinam eius naturam ſpectaueris, eſſe filium dei naturalem; ſin humanam, adoptiuum; adoptionem vero chriſti hominis non omni ex parte cum adoptione hominum piorum conuenire. At quale inter vtramque eſſe diſcrimen, crediderit, quamuis certa firmaque coniectura adſequi, nobis non liceat; nolumus tamen contradicere NATALI ALEXANDRO [m]), qui vnionem ὑποςατικὴν

rem IO. FRANC. MADRISIVM *not. in Paul lin. libr.* III *contra Felic. cap.* 24 p. 164 *oper.*

k) *Libr.* I *aduerſus Arium*, ſiue, uti recte viri docti monent, *Candidum*, Arii adſeclam, *tom.* IV *biblioth. maxim. patr. Lugdunenſ.* p. 256.

l) *Pſ.* II, 7.

m) *Hiſtor. eccleſ. nou. Teſt. vol.* V p. 804.

κὴν vtriusque in chriſto naturæ hoc loco vult intelligi, ita vt chriſtum hominem perinde ac chriſtum deum filium dei eſſe, negauerit VICTORINVS; ſed recte monuerit, chriſtum hominem filii dei nomen dignitatemque quaſi per adoptionem, facta illa duarum naturarum coniunctione, eſſe conſequutum. Si quid in adoptionis formula fuerit offenſum, non male IO. FARBESIVS n) ignoſcendum eſſe monuit Afri ingenio ac valde obſcuro ſcribendi generi, de quo HIERONYMVS o) vel ſua ætate conqueſtus ſit, ita vt libros eius *niſi ab eruditis non intelligi*, ingenue confiteretur. Nihilominus certum eſt, VICTORINVM *adoptiui* filii nomen chriſto tribuiſſe; de qua re præter laudatos viros, DIONYS. PETAVIVS p), GABRIEL VASQVEZIVS q) et THEOPHIL. RAYNAVDVS r) conſentiunt, licet et hic paullo ſubtilius teſtimonium noſtrum de natura chriſti humana, gratia ac liberalitate dei ad ſubſiſtentiam diuinæ euecta, interpretetur.

VII.

Accedimus ad HILARIVM, virum doctum ac magna autoritate conſpicuum, de quo omni fere tempore acrius fuit diſputatum: num inter eos, qui adoptioni chriſti fauent,

n) *Tom.* II *oper.* p. 276.
o) de *viris illuſtribus cap.*
p) *loc. cit.*
q) in III *part. Thom. tom.* I. p. 699.
r) *Tom.* II *oper.* p. 45.

fauent, cenſendus ſit; nec ne. Noſtrum officium, quum id a nobis poſtulare videtur, vt et adcurate et breuiter, quemadmodum res geſta ſit, exponamus, non poſſumus non primo loco controuerſiæ omnis origines paullo altius ordiri. Quum ſeculo a virginis partu octauo FELIX doctrinam de chriſto filio dei adoptiuo ſummo ſtudio propugnaret, non neglexit, vt erroris ſuſpicionem a ſe dimoueret ac ſententiæ ſuæ adferret ſpeciem veritatis, ad antiquiorum chriſtianorum ſcriptorum teſtimonia prouocare, quibus illa confirmaretur. Inter alia protulit [s]) HILARII [t]) effatum his verbis conceptum expreſſumque: *parit virgo: partus a deo eſt. Infans vagit; laudantes angeli audiuntur. Panni ſordent: deus adoratur. Ita poteſtatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur.* Quamuis ea nullam prorſus habeant difficultatem; neque ad diiudicandam componendamque, quam FELIX excitauerat, controuerſiam valeant; nihilominus viri docti, qui ad confutanda quaeuis FELICIS

 argu-

s) in *epiſtola aduerſus Alcuinum* quæ licet triſti fato interierit, ſeruata tamen nobis ſunt illius fragmenta, quæ ALCVINVS in *libros*, eidem epiſtolæ oppoſitos transtulit: quam in rem infra fuſius diſputandi nanciſcar occaſionem. Quæ ad hunc locum ſpectant, ea diſcimus ex ALCVINI teſtimonio paucis inter poſitis, a nobis recitando.

t) de *trinitate libr.* II *cap.* 29 p. 802 *oper.* edit. Benedict.

argumenta ſtudia ſua adhibebant, quaſi in ſummas adducti anguſtias, de HILARII ſuffragio, FELICI auferendo, laborarunt. Nonnulli ex eorum numero præclare ſibi conſuluerunt ac dederunt ingenii acuti ſpecimen, quum HILARII teſtimonium recte a FELICE recitari, ſed perperam explicari, nec iure in partes ſuas trahi, monerent. Hanc contra Felicem dimicandi rationem ingreſſus eſt AGOBARDVS *). Hic enim poſtquam ad illuſtranda nonnulla HIERONYMI et AVGVSTINI effata, quae nec a nobis prætermittentur, monuiſſet, *adoptionis* vocem idem ſignificare, atque *adſumendi* verbum; et vniuerſo hæc pronuntiaſſet: *iuxta hunc modum et ceteros doctores dixiſſe et ſenſiſſe, vbicumque nomen et verbum adoptionis in fide dogmatibus inſeruerunt, credimus*, ſubiecit eadem, quae dedimus, HILARII verba, ita vt eum de eorum integritate, a FELICE deprauata, ne cogitaſſe quidem, certum ſit. At alii, vt nodum, in quem ſe incidiſſe ſentiebant, non apte expedirent; ſed gladio quaſi dirimerent, FELICEM in fraudis ſuſpicionem vocare, ac verba HILARII ab eo corrupta fuiſſe, aliis perſuadere, ſibi ſumebant. In his princeps fuit ALCVINVS, qui aperte FELICEM malæ fidei adcuſauit hocque, de patrum teſtimoniis, quorum auctoritate ille vſus

*) *libr. aduerſus Felicem cap.* XL *tom.* I *oper.* p. 55 edit. BALVZII.

vſus eſt, verba faciens, protulit v): *quædam calliditatis tuæ nequitia ſubtrahis, quæ tuam hæreſin damnare videntur: quædam vero conſueta tibi verſutia immutare, non times, vt in libris beati Hilarii feciſſe videris: tu omnino peruerſiſſime dicis: adoptatur, vbi beatus Hilarius ait: adoratur.* Huius eique ſimilium exiſtimatione ſeculo nono adductus fuit HINCMARVS *Rhemenſis*, vt idem crimen bis FELICI acerbe obiiceret eumque HILARII codicibus nefando ſcelere intuliſſe manus, pro certo haberet. Non ei ſatis fuit, hæc poſterorum mandare memoriæ x): *et Felix, Orgellitanæ quondam ciuitatis epiſcopus infelix, in libro beati Hilarii, vbi idem ſanctus dixerat: carnis humilitas adoratur, tempore Caroli magni imperatoris, quoscumque hic codices arripere potuit, in omnibus adulterauit; carnis humilitas adoptatur, vt quia per veritatem non poterat, de mendacio ſuam adſtipularetur ſententiam;* ſed alibi etiam y) idem repetendum eſſe cenſuit, his vſus verbis: *ſicut ipſorum*, inquit, *qui interfuerunt concilio, relatione didicimus, quando diuæ memoriæ dominus Carolus Felicem infelicem, Orgelitanæ ciuitatis epiſcopum ſynodali decreto hæreticum comprobatum atque comperit, etiam reuictum inue-*

v) *libr.* VI *contra Felicem* p. 872.
x) *Tract. de una, non trina deitate tom.* I *oper.* p. 464 edit. Pariſ.
y) *Præfat.* eius *libro de prædeſtinatione* præmiſſa *tom.* I *oper.* p. 1.

inuenit, quia, corrupto muneribus iuniore bibliothecario Aquenſis palatii librum beati Hilarii raſit et vbi ſcriptum erat, quia in dei filio carnis humilitas adoratur, immiſit: carnis humilitas adoptatur. Hæc HINCMARVS. Quamuis ſumma illius fuerit apud ſcriptores inferioris ætatis auctoritas; tamen paucos, ne dicam, neminem, eius iudicio multum tribuiſſe, vel ALEXANDRI *Alenſis* [z]) et THOMAE *Aquinatis* [a]) exemplo efficitur. Vterque enim HILARII verba deſcripſit: neuter ſententiæ HINCMARI acceſſit, *adoratur* eſſe legendum, non *adoptatur.* Nihilominus negari nequit, vtramque vocem in libris, manu exaratis, inueniri. Quare nec miramur, quum HILARII monimenta typorum formis exprimerentur, editores modo *adoptatur;* modo *adoratur* adprobaſſe. Hoc legitur in editionibus *Badiana, Baſileenſi;* quam ERASMI diligentiæ acceptam ferimus, ac *Pariſienſi*, a LVDOVICO MIRAEO in lucem emiſſa; illud vero non ſolum MARTINVS LIPSIVS, IO. IACOB. GRYNAEVS, IO. GILLOTIVS ac Pariſienſes, qui ter [b]) HILARII opera iuris publici fecerunt; ſed etiam PETRVS CVSTANTIVS, qui elegantiſſimam præſtantiſſimamque omnium eorum vulga-

z) in *ſumm. theol. part.* III *quæſt.* 10 *membr.* 4.

a) *Sentent. libr.* III *diſt.* 10 *qu.* 2 *art.* 2 et *ſumm. theol. part.* III *quæſt.* 23 *art.* 4 §. I.

b) Ann. MDCV. MDCXXXI et MDCLII.

vulgauit editionem [c]), receperunt. CVSTANTIVS, vt conſilii redderet rationem [d]), lectionem iſtam ſuſcepit tuendam: ingenue confeſſus eſt, codicem ſcriptum Corbeienſem, quem eundem eſſe cum Aquisgranenſi, a FELICE deprauato, nonnulli diuinarunt, in bibliothecam poſtea San-Germanenſem translatum, exhibere verba raſa, ita vt verbum *adoptatur* in locum vocis *adoratur* ſurrogatum eſſe, manifeſtum ſit; addidit vero, in libris antiquis et ætate FELICIS ſuperioribus Colbertino et Carnotenſi ſcriptum eſſe *adoptatur*. Inſigniter ergo vir doctus, quod prudens ſilentio præterit, FELICEM a ſuſpicione deprauatorum codicum liberauit. Aegre id tulit BARTHOLOMAEVS GERMONIVS. Qui quum de omnium codicum ſcriptorum autoritate detrahere ſuſcepiſſet, quantum HINCMARI teſtimonium de corruptis a FELICE hæretico HILARII libris ad confirmandam eius opinionem valeat, bene intellexit; nec ſibi temperauit, quin in CVSTANTIVM aſpere et contumelioſe inueheretur, eique et HINCMARI et ALCVINI teſtimonia librorumque ſcriptorum, ab aliena

c) *Pariſienſis* editio, quæ ann. MDCXCIII prodiit. ſine omni controuerſia PETRO COVSTANTIO, monacho Benedictino; familiæ S. Mauri adſcripto, tribuenda eſt, teſtibus BERN. PEZIO *biblioth. Benedictino - Mauriana libr.* II *cap.* 12 p. 345 et monachis Benedictinis in *hiſtoir. litter. de la france tom.* I p. 193.

d) *Not. in* h. l.

na manu raſorum, exempla obiiceret e). CVSTANTIVS, ne ſibi ipſe deeſſe videretur, ad ea docte grauiterque reſpondit f), argumentisque, ſedulo conquiſitis, quæ dixerat, confirmauit. Singula, quæ hanc in rem diſſeruit, quo minus perſequamur, quum ſcriptionis huius legibus impedimur, ſatis ſit, notaſſe, eum in labefactanda HINCMARI et ALCVINI fide atque in vindicanda, quos dixi, codicum Carnotenſis et Colbertini auctoritate, quam ſumma illis adfert antiquitas, omnem collocaſſe operam. At nihil hæc omnia valuere ad GERMONIVM ab errore, in quo verſabatur, auertendum. Malam cauſſam denuo perorandam ſuſcepit ac longiorem inſtituit diſputationem g), in qua nec ingenii vim; nec humanitatem; nec doctrinam variam atque elegantem; ſed liberalem illam, quæ viros bonos decet, verum cognoſcendi et confitendi voluntatem facile deſideraueris. HINCMARVM ſuum et ALCVINVM defendit: contra deprauatum hæreticorum animum, ad quæuis mala perpatranda, ad fraudem omnesque artes, veritatem infringendi, promtum et paratum, vehementer declamat: librorum ſcriptorum ætatem adcurate definiri poſſe, negat conſtanter

e) de *veter. regum Francor. diplomat. diſceptat.* II *adpend. cap.* II p. 360 ſqq.
f) in *vindiciis vet. codic* p. 63 ſqq.
g) de *veteribus hæreticis eccleſiaſticorum corruptoribus libr.* II *part.* 2 p. 381-482.

ſtanter et lectionem *adoptatur* ante octauum ſeculum, quo FELIX vixit, ne auditam quidem fuiſſe, contendit. Quae licet, quanto ſtudio GERMONIVS in tuenda, quam amplexus erat, ſententia, verſatus ſit, abunde teſtentur; nihilominus, illuſtri candoris exemplo, quod iure ſuo omni laude dignum eſt, primus [h]) Vaticani codicis, quo librorum HILARII pars comprehenditur, teſtimonium, quod CVSTANTIVS ipſe ignorauit, et ei manifeſto contrarium produxit. Codicem hunc omnium antiquiſſimum eſſe et ſine omni controuerſia octauo ſeculo ſuperiorem, quo certius eſt; eo maior ſubeſt mirandi cauſſa, in iſto ſcriptum eſſe verbum *adoratur;* ſed ita exaratum, vt luculentis ſignis queat cognoſci, librarium vſum eſſe cultello ac litteram *r* in locum binarum *p* et *t* ſurrogaſſe. Verum enimuero ne fraus illa ſententiae eius refragari videatur, apte monuit GERMONIVS, non ſatis conſtare, num haec immutatio litterarum a ſcriptore diligenti, qui librum illum cum exemplis anterioribus contulerat eumque, vt barbara vtamur voce, *recognouerat*, vt veram et germanam lectionem in priſtinum locum reſtitueret; an a FELICIS hoſtibus fuerit ſuſcepta, vt ne HILARIVS Adoptianorum doctrinae fauere videretur. Alia, quae GERMONIVS in iſtum locum congeſſit, ne iuſto ſit longior noſtra oratio, ſilemus. CVSTANTIVS

h) *loc. cit. cap.* 9 p. 446 ſqq.

TIVS reſpondendi officium, quod merito ab eo omnes exſpectabant, non recuſauit; ſed verboſiorem oppoſuit GERMONIO commentationem *i*), eaque, quanta in codicibus vetuſtiſſimis auctoritas, quantaque vis in ceteris argumentis inſit, luculenter demonſtrauit. Vrget inprimis ſuffragium codicis Vaticani, ac ne de illo relinquatur dubitandi locus, adfert tabulas *k*), Romæ ann. MDCCVII confectas, teſtiumque decem, eruditione et grauitate conſpicuorum manu communitas, quibus certe conficitur, ſeculo ſexto, quo codex ille ſcriptus fvit, lectionem *adoptatur* pro vera ac germana fuiſſe habitam litterasque *pt* inferiore ætate ab aliena manu deletas ac litteram *r* atramento nigriori et recentiori fuiſſe adſcriptam. Ad hæc licet nihil regeſſerit GERMONIVS; nec eum tamen mutaſſe ſententiam, ex *epiſtola* intelligimus *l*), quam aduerſus Italos, CVSTANTII laudatores *m*), exarauit. Sed progrediamur ad alios eruditos viros; qui de hac re ſententiam dixerunt. Quod mireris, DIONYSIVS PETAVIVS *n*) et THEOPHILVS RAYNAVDVS *o*) eiusdem ſocietatis vinculo cum GER-

i) *in vindic. veterum codicum confirmat. part.* III p. 139-313.
k) *cap.* V p. 183.
l) edita in *memoires de Trevoux ann.* MDCCXVI p. 989.
m) in *giornale de letterati d'italia tom.* XXIII p. 436 ſqq.
n) *Dogmat. theol. tom.* V p. 336. *o*) *loc. cit.*

GERMONIO coniuncti; ſed ætate eo ſuperiores, HILARIVM *adoptatur* ſcripſiſſe, non dubitarunt; nec dubitauit GEORG. CALIXTVS [p]); recentiori vero æuo illuſtriſſimus SCIPIO MAFFEIVS [q]) eidem ſententiæ acceſſit eamque nouis exquiſitisque confirmauit argumentis. Contra ea lectionem illam deprauatam eſſe ac verbum *adoratur* pro germana reputandum ante criticum iſtud Gallorum bellum cenſuere GABRIEL VASQVESIVS [r]), IOANNES FORBESIVS [ſ]) et quem ægre ferimus a FORBESIO deceptum, IOANNES GEORG. DORSCHAEVS [t]). Poſtea nonnullos ex Loiolæ familia vt ſodalis proſpicerent dignitati, atque in his IGNATIVM DE LAVBRVSSEL [u]) et IACOBVM LONGVEVAL [v]) GERMONII opinionem defendiſſe, iisque ſe IOANNEM FRANCISCVM MADRISIVM [x]) ad-

p) *Progr. et diſſ. de perſona chriſti faſcic.* p. 90.

q) in *præfatione* luculenta, ſplendidæ *operum Hilarii* editioni, quæ Veronæ ann. MDCCXXX lucem vidit, præmiſſa.

r) *Loc.* ſæpius *laudato cap.* XV p. 716. Lege, quæ contra VASQVESIVM CVSTANTIVS *vindic. confirm.* p. 288 diſputat.

ſ) *Inſtruct. theol. libr.* VI *cap.* 6 *tom.* II *oper* p. 275.

t) in *collat. ad concil. Francoford. Sect.* III *cap.* 5 p. 143.

u) in *des abus de la critique en matiere de religion tom* I *cap.* 13 p. 130 et 131.

v) in *hiſtoire de l'egliſe Gallicane tom.* V p. 60.

x) in *diſſertat. dogmatic. de hæreſ. Felicis et Elipandi*, quæ tertia eſt inter illas, quas PAVLLINI AQVI-

adiunxiſſe, non miramur; ſed virum ſummum, CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVM y) idem ſtatuiſſe, miramur. Ingenue enim confitemur, placere nobis eorum ſententiam, qui vocem *adoptatur* ab HILARIO profectam eſſe, autumant. Quamuis codices manuſcripti ita inter ſe diſcrepent, vt vtrique parti fauere videantur; tamen maior eſt auctoritas codicis Vaticani, de cuius antiquitate nec GERMONIVS derogare ſibi ſumſit; quam ceterorum, quorum dubia eſt atque incerta ætas. Accedit, id eſſe orationis, qua continetur, vinculum, vt niſi *adoptatur* legi velis, frigidam ſatis ei ſubiectam deprehendas ſententiam. Quid, quæſo, putes a viro ſapiente dictum, dum ſcripſerit, *poteſtatis dignitatem non fuiſſe omiſſam, dum carnis humilitas adoraretur?* Num magi, qui chriſto infanti diuinum cultum tribuerunt, ſolam adorarunt naturam humanam. Quid, quæſo, diuinæ naturæ fuit metuendum, dum chriſtus homo adoratur? Contra ea elegans eſt orationis ſententia, ſi voci *adoptatur* priſtinus locus conceditur. Quemque, arbitramur, id intelligere, vbi quænam vera HILARII ſit ſententia, verbis his declarata, adcurate expenderit. Alia hæc eſt, quæ ad hunc locum pertinet, quæſtio, inter viros doctos, qui de lectione conſentiunt, ſed de interpretatione diſſident, con-

AQVILEIENSIS *operibus*, Venetiis ann. MDCCXXXVIII editis ſubiecit §. XIX p. 211.

y) *Diſp. de chriſto ſeruo* p. 22.

controuerſa. *Carnis humilitatem* idem eſſe ac *naturam humanam*, inter pleroſque conuenit. At de eo diſputatum fuit, quænam *adoptionis* ſit hoc loco notio. Simplex, orationi ipſi adcommodata ideoque ceteris anteferenda eſt ſententia AGOBARDI, quam paullo ante adtulimus, *adoptandi* verbum eamdem cum voce *adſumendi* habere ſignificandi vim. Idem iudicauit CVSTANTIVS z), atque opportune aliud eiusdem HILARII teſtimonium excitauit a), quod et ad tuendam et ad explicandam lectionem *adoptatur*, multum valet. Ita enim ſcripſit de chriſto ſponſo: *per hanc ſermonis conſuetudinem docemur, eum eſſe, qui promiſſus ſit gentibus cuique a patre eccleſiæ hereditas, per adoptionem corporis, quod ex virgine præſumturus eſſet, deſponſa ſit* b). Ex eo perſpicimus, HILARIVM verbis: *carnis humilitas adoptatur*, nihil aliud ſignificaſſe, niſi quod natura humana, longe infra diuinæ maieſtatem poſi-

z) *Not. in Hilar.* p. 802.

a) *Tract. in pſalm.* CXXVII *num.* 8 p. 427 *oper.*

b) GERMONIVS hoc HILARII effatum non ignorauit, ſed quum probe ſciret, quantum ponderis haberet ad comprobandam ſententiam, ei oppoſitam, ſimili modo illud corruptum eſſe, ſibi perſuaſit atque emendandi libidine commotus *adeptionis* nomen cum *adoptionis* voce commutandam eſſe, cenſuit, de *hæret. codic. eccleſiaſticor. corruptor.* p. 459 ſqq. ſed vide, quae reſpondit CVSTANTIVS *vindic. veterum codic. confirmat.* p. 7. 91 ſqq.

poſita, infinitæ gratiæ documento, a filio dei ſibi fuerit adſcita; hac tamen lege, vt diuinam non amitteret, quam nunquam amittere potuit. His non repugnant, ſed paullo adcuratius rem exprimunt, qui cum THOMA *Aquinate* [c]) recte putant, *accipi adoptionem pro vnione humanæ naturæ ad perſonam filii*, ſiue, vti PETAVIVS ac RAYNAVDVS pronuntiant, *pro vnione hypoſtatica*. Perperam ac contra verborum vim ALEXANDER *Alenſis* [d]) *carnis humilitatem* non de humanitate chriſti, ſed de hominibus, qui per chriſtum adoptionem diuinam conſequuntur, explicat. Quocumque denique modo vel HILARII verba legas; vel explices, certum eſt, pium virum hoc loco de chriſto filio dei adoptiuo haudquaquam cogitaſſe.

VIII.

ALIVD ad noſtram ætatem peruenit eiusdem HILARII effatum, quod quo difficilius atque obſcurius eſt; eo magis miramur, effugiſſe illud doctorum hominum diligentiam, quos in definienda illius de adoptione ſententia elaboraſſe, diximus. Vt recta ſit, quam inſtituere adgredimur, et perſpicua diſceptatio, primo loco recitari a me oportet

PAVL-

c) *Summ. theol. part.* III *quæſt.* 23 *art.* IV *§. ad primum.*

d) *Summ. theol. part.* III *quæſt.* 10 *membr.* 4. Mirum eſt, eidem ſententiæ falſae ſubſcripſiſſe olim AQVINATEM *ſentent. libr.* III *diſt.* 10 *qu.* 2 *art.* 2.

PAVLINI *Aquileienſis* [e]) teſtimonium, quo FELICEM ad HILARII verba prouocaſſe, perhibet. Ita vero ille ait: *deinde autem ponis Hilarii verba; ſed non iuxta eiusdem ſenſum doctoris.* VBI *enim ait:* NATIVITAS EST, IBI FILIVS MEVS DILECTVS. VBI VERO ELECTIO EST, EX GENTIBVS ET ADOPTATIO, PER VOLVNTATEM EST, IBI FILIVS PRIMOGENITVS MEVS. *In quibus verbis videtur ſibi Hilarium diuiſiſſe vnum chriſtum more tuo, quatenus ſit ex parte filius patris dilectus et ex parte primogenitus, non dilectus; ſed per adoptionem filius, quum ille generationem nati ex deo patre in dilecti nomine certatim diſtinguere ab ea, quae dicitur adoptio, ſtuduerit.* Ex his facili negotio intelligitur, FELICEM, quum HILARII teſtimonium proferret, ſibi perſuaſiſſe, pronuntiatum illud eſſe de chriſto, ita vt diſcrimen inter filium dei, qua deum, atque inter filium dei, qua hominem, conſtitueretur. At bene res ſe habet. Si effato hoc eſt vſus, atque idem, quod PAVLLINVS teſtatur, eo comprobare auſus eſt, certe eo abuſus eſt. Quod ſi enim totam orationem HILARII [f]), cuius partem FELIX recitat, ſedulo expendimus, eum non de chriſto; ſed de populo Iſraelitico verba feciſſe ac differentiam inter hanc gen-

e) libr. III *contra Felicem cap.* 19 p. 157 edit. MADRISII.

f) *libr.* XII *de trinit. num.* 15 p 119 *oper.* edit. Benedict.

gentem *filium dei primogenitum* adpellatam et chriſtum *filium dei dilectum* oſtendiſſe, abunde cognoſcimus. Quare conſequens eſt, vt neque hoc effatum valeat ad comprobandum, HILARIVM de chriſto filio dei adoptiuo edidiſſe teſtimonium. Id vnum addimus, a PETAVIO, GERMONIO aliisque varia excitata fuiſſe HILARII loca, quæ contra *Adoptianorum* ſententiam pugnant; ſed de his conſulto tacemus, ſiquidem ad vnum omnia ad confutanda Arianorum dogmata, non ad doctrinam de nomine filii dei, chriſto homini tributo, pertinent.

VIII.

SIMILI modo idem FELIX, ſententiæ ſuæ patronum et laudatorem extitiſſe HIERONYMVM *Stridonenſem*, aliis perſuadere voluit. Qui id memoriæ prodidit, AGOBARDI g) teſtimonium, licet longum; integrum tamen deſcribere, neceſſitas ipſa nos cogit, ſiquidem is ſolus HIERONYMI verba, ex libro, quem temporum iniuria nobis eripuit, deſumta, tamquam tabulam ex naufragio, nobis ſeruauit. *Ait beatus Hieronymus*, inquit: *in ſuo breui et elegantiſſimo tractatu de ſimilitudine carnis peccati contra Manichæos: denique hoc confirmat propoſita ipſa ſententia, quæ primum Adam in animam viuentem factum eſſe teſtatur, nouiſſimum in ſpiritu viuificantem. Ecce cur poſt tam innumeros annos et incomprehenſa*

g) *libr. aduerſus Felicem cap.* 39 *tom* I *oper* p. 52 ſqq.

henſa curricula ſeculorum ab omnibus mortalibus, a quibus vt qui ſecundum carnem natus eſt ſeparatur, quod ille primus viuens, hoc nouiſſime viuificans, ille ſibi data vix poſſidens, hic poſſidenda condonans. Quot et pſalmiſta duobus verſiculis explanauit, dicens: quid eſt homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam viſitas eum? Homo Adam accipiendus eſt; filius hominis, dominus intelligendus eſt: qui in memoriam veteris viſitatur et in defuncti recordatione ſpiritu ſalutationis impletur: quod ipſa verba exprimunt, vt rem planam videre, non ſit mirum, dum et homini memoria coniungitur et filio hominis viſitatio copulatur. Illi mortali quid aliud poterat ſupereſſe? huic viuificanti quid aliud oportebat infundi? Nam defunctis memoria debetur, viuificatio viuentibus exhibetur. Quod vtrumque in domino per incarnationem conſtat impletum, quum ob primi commemorationem nouiſſimus viſitatur et ob nouiſſimi viſitationem ſaluatur et primus. Huic ſenſui germana eſt illa ſententia: primus homo de terra terrenus, ſecundus e cælo cæleſtis? ſine dubio ille, qui eum, quem geſtabat, in baptiſmate fecit audire, quod ante ipſum nullus audierat: filius meus es tu, ego hodie genui te. Et qualiter dicitur hodie, ſi in principio verbum et verbum apud deum eſt et deus erat verbum: quia non eſt iſtud verbum, quod ſemper in patre et apud patrem fuiſſe et apud patrem eſſe, credendum eſt; ſed homo, quem in gratiam ſalutis deus verbum ſuſceperat, audiuit. Hic filius hominis per dei

ſilium dei eſſe ſilius in dei ſilio promeretur; nec ADOPTIO *a natura ſeiungitur; ſed natura cum* ADOPTIONE *coniungitur, quoniam, quum verbum caro factum eſt, non per adſumtam decreuit adſumtor; ſed in aſſumentem creuit adſumtio. Creaturæ enim poterat per creatorem infirmitatis ſubſtantia commutari; creatoris autem in creaturam non poterat æternitatis conuerti natura. Et ideo quum dicitur: prior homo de terra terrenus, ſecundus e cælo cæleſtis, non corporis materia ſeparatur; ſed forma vitalis, nec caro tollitur; ſed carnis ſuſceptor oſtenditur, ille, inquam, qui in euangelio ait: vos de inferioribus eſtis, ego de ſuperioribus ſum. De ſuperioribus ait, non vtique ſiderea carne; ſed virtute diuina.* Hactenus HIERONYMVS. Difficile ſane et arduum eſt, de hoc teſtimonio certam dicere ſententiam. Num recte HIERONYMO tribuatur, licet multæ ſint grauiſſimæque dubitandi cauſſæ, neminem tamen dubitaſſe, mihi quidem haud mirum videtur, propterea, quod paucis id viſum ac cognitum fuit. Soli eius mentionem fecerunt NATALIS ALEXANDER [h]) et THEOPHIL. RAYNAVDVS [i]); at vtrique ſatis fuit, prouocare ad AGOBARDVM, ſcriptorem ſeculi noni. IO. MARTIANAEVS, egregia operum HIERONYMI editione illuſtris, et STEPHAN. BALVZIVS, AGOBARDI interpres, ne leuiter quidem locum hunc teti-

h) *Hiſtor. eccleſ. nou. Teſtum. tom.* VI p. 808.
i) *Tom.* II *oper.* p. 47 ſq.

tetigerunt, qui, ſi quisquam alius, in disquiſitione poni debuit. At melius ſuo officio ſatisfecit vir doctiſſimus ac celeberrimus mihique, quod grati animi declarandi cauſſa publice profiteor, admodum beneuolus, DOMINICVS VALLARSIVS [k]), ac licet timide; vel potius verecunde; candide tamen declarauit, ſuſpicari ſe, libellum de *ſimilitudine carnis peccati*, quem nemo veterum; ſed ſolus AGOBARDVS commemorauit, falſo HIERONYMO adſcribi. Elegantiſſimam praeterea addidit coniecturam, opuſculum, quod et FELIX et AGOBARDVS HIERONYMO adiudicant, eſſe vel AVDENTII [l]); vel SABBATII [m]), illius Hiſpani, huius Galli; quorum vterque librum, iſta inſcriptione ornatum, ſcripſiſſe a GENNADIO dicatur. Huic ipſe eo lubentius ſubſcribo, quo certioribus ſignis cognoſcere mihi videor, et diſputandi formam, et ſcribendi genus longe a more HIERONYMI rece-

C 4

k) *Praefat. tom.* I *oper. Hieronym.* quorum praeſtantiſſimam Veronae in lucem emiſit editionem, praemiſſa, §. 32. p. 22,

l) De AVDENTIO egit GENNADIVS *de ſcriptoribus eccleſiaſticis* cap. 14 p. 12 edit. FABRICII in *biblioth. eccleſ.* Huic ſua debent: GVIL. CAVEVS *hiſtor. litter. ſcriptor. eccleſ. tom.* I p. 224 et IO. ALB. FABRICIVS *biblioth. lat. med. et infim. aetatis vol.* I p. 386.

m) SABBATIVM, de quo GENNADIVS *loc. cit. cap.* 25. p. 14 et CAVEVS *loc. cit.* p. 430 eumdem eſſe cum SERVATIO, Tongrenſi epiſcopo, noſtro aeuo nemo dubitat. vid. *hiſtoir. litt. de la France tom.* II p. 242.

recedere. Cuiuscumque vero verba illa ſint, ea quid ſignificent, nec AGOBARDVS, nec RAYNAVDVS, nec NATALIS ALEXANDER, AGOBARDI auctoritati nimium cedentes, adſequuti ſunt. Omnes hi credunt, verba: *nec adoptio a natura ſeiungitur; ſed natura cum adoptione coniungitur*, iis, quæ addidit: *quoniam quum verbum caro factum eſt, non per adſumtam decreuit adſumtor; ſed in adſumente creuit adſumtio*, ita explicari, vt vtraque idem exprimant; hincque concludunt, verbo *adoptionis* ſubiici *adſumtionis* notionem. Sed verius atque elegantius ſcriptorem noſtrum philoſophatum eſſe, mihi certe perſuadeo. Bene enim ſtatuit: *hic filius hominis per dei filium dei eſſe filius in dei filio meretur*. Quid, quæſo, aliud, dicit, quam chriſtum hominem vti recte filii dei nomine, quia chriſtus deus ita ſibi copulauit naturam humanam, vt in diuina ſuam haberet ὑποςασίαν, ſiue ſubſiſtentiam. In vnione ergo illa hypoſtatica collocat fundamentum communicationis idiomatum. Hanc perinde vti multi alii doctores chriſtiani adpellat *adoptionem*, dum hæc ſubiicit: *nec adoptio a natura ſeiungitur; ſed cum natura adoptio coniungitur*, vt moneat, naturam in chriſto ineſſe humanam; ſed cum diuina per ἐνυποςασίαν ita coniunctam, vt idiomatum diuinae ſit particeps hancque ab illa nullo modo ſeparari liceat. Addit denique: *quoniam quum verbum caro factum eſt non per adſumtam decreuit adſumtor*, id eſt, diui-

na

na natura ex coniunctione cum humana nihil detrimenti cepit; *ſed in adſumente creuit adſumtio;* ſiue, humana natura, quam filius dei adſumſit, per coniunctionem cum diuina dignitate, poteſtate aliisque diuinæ idiomatibus fuit aucta. Acute ergo ex indole coniunctionis naturæ diuinæ cum humana, concludit, neceſſe eſſe, vt inter vtramque ſit vnio hypoſtatica et per conſequens, idiomatum communio, niſi quis tam abſurdus tamque abſonus eſſe velit, vt diuinam, dum homo fieret filius dei, de ſua dignitate neſcio quid amiſiſſe, dicat.

X.

QVI ſeculo quarto peruerſis doctrinis animum addixit hancque ob cauſſam inter hæreticos locum obtinuit, BONOSVS, Sardicenſium ſacrorum præſul, itidem chriſtum filium dei eſſe adoptiuum, docuit. Teſtimonia hanc in rem bina reliquit ISIDORVS *Hiſpalenſis.* Quum hæreticos is percenſeret, de Bonoſianis hæc notauit [n]): *Bonoſiani, a Bonoſo quodam epiſcopo exorti produntur, qui chriſtum filium dei adoptiuum non proprium adſerunt.* Alibi de IVSTINIANO *Hiſpano* ſcripſiſſe eum, memorat [o]), *contra Bonoſianos, qui chriſtum adoptiuum et non proprium dicunt.* Similia tradidit ELIPANDVS [p]) et mentem

C 5 Bono-

n) *Origin. libr.* VIII *cap.* 5 p. 134.

o) de *viris illuſtr. cap.* XX p. 55 edit. FABRICII in *biblioth. eccleſ.*

p) Conf. ETHERII et BEATI *libr.* I *aduerſ.* *Eli-*

Bonoſianorum rectius explicauit, vt quum ipſe adoptionis formulam adprobaret, magnum inter eum atque hæreticos illos intercedere diſcrimen, quisque cognoſceret. *Bonoſus*, inquit, *credidit de matre adoptiuum et non de patre ante ſecula proprie genitum et non de patre temporaliter adoptiuum.* Quae vti manifeſte docent, Bonoſianos adoptionem chriſti retuliſſe ad diuinam, non ad humanam eius naturam; ita confirmantur aliis veterum ſcriptorum teſtimoniis, quibus conſtat, omnino Bonoſianos Arii dogmata de diuinitate chriſti adprobâſſe. Id quod quum nuper dedita opera demonſtraui q), ac doctrinam eorum de adoptione fuſius expoſui; tempero mihi, quo minus ea, quae dixi, heic repetam.

XI.

PRAETER hos, eadem fere ætate eorum, qui chriſto tribuebant adoptionem, numero ſeſe adiunxere DIODORVS *Tarſenſis* et THEODORVS *Mopſueſtenus*, qui Diodoro vſus erat magiſtro, ſumma nominis fama illuſtres, a nonnullis infinitis ornati laudibus, ab aliis acrius reprehenſi ac tantum non in hæreticorum cenſum relati. De his breuiter monere liceat, quod alii fuſius demonſtrarunt, vtrumque in oppugnandis Apollinariſtarum erro-

Elipand. p. 311 edit. BASNAGII *tom.* II *part.* I *theſ. monim. eccleſ.*

q) *Diſſ. de Bonoſo hæretico*, quam in hac academia nuper in lucem emiſi.

erroribus, qui eſſentiam τῦ λόγυ in carnem chriſti fuiſſe conuerſam et commutatam, docere videbantur, ſibi non temperaſſe, quin in errorem, illi oppoſitum, prolaberetur ac perinde vt poſt eos Neſtoriani, vnionem duarum chriſti naturarum ὑποςατικὴν in dubium vocaret, eamque prorſus negaret r). Quum animi illorum in tam falſo verſarentur errore, facile accidit, vt ad explicandam illam diuinæ et humanæ naturæ disiunctionem, quam comminiſcebantur, his vterentur loquendi formulis, vt *filium dei naturalem*, id eſt chriſtum deum, a *filio dei adoptiuo*; ſiue chriſto homine diſcernerent ac ſublata illa vnione perſonali duos admitterent filios. THEODORVM quidem *Mopſueſtenum* in hoc fuiſſe errore, luculentis veterum teſtimoniis abunde comprobatur. Teſtis eſt, qui primum locum iure tuetur, IVSTINIANVS, imperator Auguſtus. Hic ſatis dilucide doctrinam THEODORI noſtri explicauit s), qua ſtatuit, alium eſſe deum verbum; alium chriſtum, tot animæ et corporis cruciatus perpeſſum: hunc per bona opera factum meliorem;

r) Legas ſcriptores doctos, qui de ſententia DIODORI ac THEODORI Neſtoriana fuſe diſputarunt, laudatos a IO. ALB. FABRICIO *biblioth. Græc. vol.* VIII p. 361 et *vol.* IX p. 155 iis vero adde IOSEPH. SIM. ASSEMANNVM *diſſ. de ſyris Neſtorianis cap.* VII §. I ſqq. in *biblioth. oriental. tom.* III *part.* 2 p. 190.

s) in *confeſſione rectæ fidei*; ſiue *edicto aduerſus tria capitula*, p. 710 *tom.* V *concil.* LABBEI.

rem: in nomine patris, filii et ſpiritus ſancti ſalutari aqua ablutum: per illam accepiſſe gratiam ſpiritus ſancti, et υἱοθεσίαν ἀξιωθῆναι, *adoptionem meruiſſe*, cet. De eadem re teſtatur FACVNDVS *Hermianenſis* t), qui contra Theodorum diſputauit, ita vt ipſe adoptionis formulam, alio modo exponendam, comprobaret, vti, paucis interpoſitis, demonſtrabimus. Expreſſa denique THEODORI verba ſeruauit nobis LEONTIVS *Byzantinus* u), quibus verba dulciſſimi ſeruatoris noſtri: *et ego gloriam, quam dediſti mihi, dedi eis*, ita explicauit v): *quamnam? nempe participare adoptionem. Hanc enim accepit ipſe ſecundum humanitatem baptizatus primum in Iordane, in quo noſtrum baptisma tamquam in figura exprimebatur et regeneratio confirmabatur teſtimonio vocis eius, qui dixit: hic eſt filius meus dilectus, in quo bene complacui.* Quae ſatis clare docent, THEODORVM variis iisque grauiſſimis erroribus de humana natura Chriſti fuiſ-

t) *pro defenſ. trium capitul. libr.* IX *cap.* 5 p. 706 *tom.* II *oper.* SIRMONDI.

u) LEONTIVM, quem viri docti BYZANTINVM adpellare conſueuerunt, rectius *Hieroſolymitanum* dici, adcurate monuit nuper vir clariſſimus ANTON. BONIOVANNI apud cel. IO. DOM. MANSIVM *ſupplem. concilior. tom.* VI p. 467.

v) Verba haec, deſumta ex THEODORI *libr.* VIII *contra incarnationem* exhibet LEONTIVS *libr.* III *contra Neſtor. et Eutych.* p. 587 edit. BASNAGII *tom.* I *theſ. monim. eccleſ.*

fuiſſe captum, atque omnino talem admiſiſſe *adoptionem* illius, qualis doctrinæ Neſtorianæ eſt adcommodata. Num dogmatis huius magiſtrum habuerit DIODORVM *Tarſenſem*, non ſatis certum eſt atque expeditum. Video quidem, hunc eiusdem cum THEODORO erroris adcuſari a THOM. RAYNAVDO x), DIONYS. PETAVIO y), et ſi qui ſunt, aliis; nec negare lubet, eum de chriſto homine ita ſtatuiſſe, vt eum filium dei non per vnionem cum diuina natura hypoſtaticam; ſed per adoptionem eſſe, crederet. At nulla perinde DIODORI, vti NESTORII, relicta nobis ſunt effata; nec aliorum de iis teſtimonia, quibus probari queat, eos adoptionis formula eſſe vſos. Quem paullo ante nominaui, LEONTIVS ſimili ratione DIODORI quædam collegit loca z), quæ Neſtorianas illius opiniones ſatis declarant; nec dubito, referenda ad illas eſſe hæc eius verba a): *gratia filius homo, ex Maria natus; natura autem deus verbum: illud gratia et non natura, non gratia*, licet ea, in ſe ſpectata, nihil abſoni contineant; neque vllam inferant neceſſitatem, credendi, nominaſſe DIODORVM chriſtum filium dei adoptiuum.

XII.

x) *tom.* II *oper.* p. 44. 48.

y) *Dogmat. theol. tom.* V p. 327.

z) Pauca ſuperſunt DIODORI effata, *ex libris eius contra ſynuſiaſtas* collecta tum a LEONTIO loc. cit. tum a IOANNE GARNERIO *diſſ. de hæreſi Neſtorii* §. VIII *tom.* II *oper.* MARII MERCATORIS p. 317.

a) apud LEONTIVM *loc. cit.* p. 502.

XII.

AD hunc locum quoque ſpectare videtur controuerſia inter APOLLINARIS iunioris ſectatores et veritatis patronos eodem ſeculo acta. Quales illius fuerint rationes: quænam vtriusque partis ſententiæ; quænam ab vtraque geſta, quum alii eruditionis ac doctrinæ laude clariſſimi viri dedita opera expoſuerunt [b]), iis repetendis prudenter me abſtineo. Satis eſt notare [c]), in eo Apollinarem potiſſimum a vero aberraſſe, vt dei filium, quum humanam ſibi adiunxiſſet naturam, nihil præter corpus, idque anima, ſaltem mente deſtitutum, adſumſiſſe. Errori huic quum reſiſterent doctores chriſtiani, recte ſentientes, ac omni diligentia oſtenderent, in chriſto non fuiſſe naturæ humanæ partem; ſed eam integram; APOLLINARIS, ex communibus hæreticorum artibus petiit præſidium, atque erroris ſuſpicionem, quæ in illum cadebat, orthodoxis adferre conatus eſt. Talem enim eſſe, ſibi aliisque perſuaſit, eorum de chriſto doctrinam, vt neceſſe ſit, admittere eos duos dei filios, alterum *adoptiuum*; alterum *naturalem*. Teſtis

b) Laudarunt illos IO. ALB. FABRICVS in *biblioth. Græc. vol.* VII p. 658 et cel. IO. VOGTIVS *biblioth. hæreſiol.* p. 94.

c) conf. IAC. BASNAGII *hiſtor. hæreſeos Apollinariſt.* §. VIII ſqq. et IO. FRANC. BVDDEVM *inſtit. theol. dogm. libr.* IV *cap.* 2 §. 44.

ſtis eſt GREGORIVS NYSSENVS [d]), cuius hæc ſunt verba: οἱ τοῖς τοῦ Ἀπολλιναρίου δόγμασι συνιστάμενοι, διὰ τῆς καθ᾽ ἡμῶν μέμψεως κρατονεῖν ἐπιχειροῦσι τὰ ἴδια, σαρκικὸν τὸν λόγον καὶ δημιουργὸν τῶν αἰώνων τὸν τοῦ ἀνθρώπου υἱὸν καὶ θνητὴν τοῦ υἱοῦ κατασκευάζοντες τὴν θεότητα· προφέρουσι γὰρ ὡς τινῶν κατὰ τὴν καθολικὴν ἐκκλησίαν δύο πρεσβευόντων υἱοὺς ἐν τῷ δόγματι, τὸν μὲν κατὰ φύσιν ὄντα, τὸν δὲ κατὰ θέσιν ὕστερον προσγενόμενον, *qui dogmata Apollinarii defendunt, conantur adcuſando nos ſua confirmare, verbum et auctorem ſeculorum, filium hominis dico, facientes carneum et diuinitatem filii mortalem. Proferunt enim, quaſi quidam ſecundum catholicam eccleſiam duplicem filium in dogmate profiteantur, vnum natura; alterum poſitione;* ſiue potius adoptione, *poſtea adſcitum.* Qua de cauſa hæc obiecerit APOLLINARIS rectiori doctrinæ, nemo non intelligit; nec dubito, adcuſaſſe eum orthodoxos erroris Neſtoriani. Criminationem iſtam vt GREGORIVS depelleret, ſtatim hæc ſubiecit: οὐκ οἶδα παρ᾽ ὅτου τὸ τοιοῦτον ἀκηκοότες καὶ πρὸς ποῖον διαπληκτιτόμενοι πρόσωπον· οὔπω γὰρ ἔγνων τὸν ταῦτα παραφθεγξάμενον, *neſcio, a quonam hoc audierint; neque contra quem pugnent. Nondum enim intellexi, quis hæc falſo dixerit.* Reſponſio hæc probata fuit DIO-

NYSIO

d) *Epiſt. ad Theophil. tom.* II *oper.* p. 693 edit. Pariſ. ann. MDCXV et *tom.* I *theſ. moniment. eccleſiaſtic.* BASNAGII p. 192.

NYSIO PETAVIO [e]) et NATALI ALEXANDRO [f]); mihi vero non probari, ingenue confiteor. Ignorantiæ enim notam non effugiet GREGORIVS, quum neminem ex doctoribus puriori doctrinæ addictis, ita loquutum eſſe, ſcribit. Omnino in eorum ordine fuiſſe, qui ita ſentirent, ſatis iam probaſſe mihi videor. Deinde ſi alii quidem recte hanc ſententiam orthodoxis falſo tribui, dixerint, GREGORIVS certe idem ſine reprehenſione dicere non potuit. Ipſe enim parum abfuit a praua Eutychis ſententia [g]), ac talia de vnione naturarum tradidit, quibus adoptionis nomen omnino repugnat. Satius fuiſſet, ad confutandos Apollinariſtas diſcriminis, quod inter Neſtorianos atque orthodoxos intercedit, diligenter et perſpicue explicare rationes, vt quænam ſit media via inter vtrosque errores, Neſtorianos quippe, et Apollinariſtarum, certe conſtaret, atque his conſtitutis concludere, licet nonnulli ex patribus chriſtum ſecundum humanam naturam filium dei adoptiuum adpellaue-

e) *Hiſt. eccleſ. nou. teſt. tom.* IV p. 802.

f) *Dogmat. theol. tom.* V p. 329.

g) conf. ven. patrem in *hiſtor. eccleſ. nou. teſt.* p. 1613 Cauſſam quidem GREGORII agendam ſuſcepit LAVR. ALEXAND. DACAGNIVS in *præfat. collectan. moniment. veter. eccleſ.* §. XX et XXI p. 21 ſed ſi vera fateri libet, eum ab omni negligentiæ culpa non liberauit. Adde REMIG. CEILLERIVM in *hiſtoir. general. des auteurs ſacres et eccleſiaſtiques tom.* VIII p. 397.

lauerint; nihilominus eos abhorruiſſe a ſeparatione vtriusque naturæ Neſtoriana.

XIII.

PROGREDIMVR ad doctores ſeculi quinti poſt reſtitutum in priſtinum gratiæ diuinæ locum genus humanum, ex quorum numero nonnullos de adoptione chriſti cogitaſſe ac reliquiſſe effata luculenta, facili negotio probatur. Inter hos vti eruditionis laude ſummaque virtutis apud alios exiſtimatione auctoritateque excelluit CYRILLVS *Alexandrinus*; ita non dubito, fore plerosque, qui mirentur, referre me eum inter adoptianorum numerum, quem fere omne vitæ ſpatium in confutanda Neſtorii doctrina aliorumque, qui de chriſto minus recte ſentiebant, commentis refellendis conſumſiſſe, inter omnes conuenit. At nihil iniuriæ me CYRILLO inferre, hæc eius verba ſunt documento [b]). Pugnabat contra Arianos, qui de chriſto docebant, ὀυκ εἶναι θεὸν μὲν ὄντως ἀληθινὸν, κεχαρίσθαι δε αὐτῷ τοὔνομα κατὰ θέλησιν τοῦ πατρὸς, *eum non eſſe verum deum; ſed nomen hoc beneficii loco ei conceſſum per voluntatem patris*, atque quum multa huic errori obieciſſet, inter alia hæc proferebat: ἄραρεν οὖν, ὅτι κατάγε τὸ ὀρθῶς ἔχειν καὶ αὐτῷ σοι δοκοῦν πρέπει, ἂν δὴ τότε δεδόσθαι νομίζειν

το

b) leguntur *dialog.* III *de recta* et *ſubſtantiali trinitate tom.* V *oper.* p. 486 edit. AVBERTI.

τὸ ὄνομα τῷ υἱῷ τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα, ὅτε καὶ σχῆμα τὸ καθ᾽ ἡμᾶς ὑποδύς, ὡς εἷς ἐξ ἡμῶν εἰς υἱὸν ἐγράφετο θεοῦ, ΘΕΤΟΣ ΜΕΘ᾽ ἩΜΩΝ, καὶ δι᾽ ἡμᾶς ὁ γνήσιος, ἵνα καὶ ἡμεῖς δι᾽ αὐτὸν υἱοὶ τῆς ὑπὲρ φύσιν εὐκλείας ἐπιδραττόμενοι, κοινωνοί. *conſtat igitur, id quod recte ſe habere, tute ipſe confiteris, conſentaneum eſſe, vt tunc datum exiſtimemus fuiſſe filio nomen illud, quod eſt ſuper omne nomen, quando et formam, noſtri ſimilem ſubiens, tanquam vnus ex nobis in filium adſcriptus eſt dei,* ADOPTATVS *nobiſcum et propter nos ille verus ac germanus, vt et nos propter ipſum filii ſimus, gloriæ illius, quæ naturam ſuperat, comprehenſores ac participes.* Teſtimonio hoc nihil certe apertius et euidentius poteſt cogitari, CYRILLVM adpellaſſe chriſtum ſecundum humanam naturam filium dei adoptiuum, nec negarunt id, qui de illo diſputarunt, NATALIS ALEXANDER i) et DIONYS. PETAVIVS k). Hic nihil adfert, quod CYRILLI ſententiam illuſtraret; ille vero diligentius laborauit, vt CYRILLVM a Neſtorianiſmi ſuſpicione liberaret, in quam propter formulam illam poſſet reuccari. Qua in re ipſi quidem non refragor; ſiquidem certe perſuaſum habeo, CYRILLVM, ſi vmquam in grauiſſima ac prorſus ſalutari de chriſto doctrina aberrauerit, ad Eutychianiſmum potius; quam Neſtorianiſmum, nimia diſputandi libidine abreptum

i) *hiſt. eccleſ. tom.* IV p. 805.
k) *dogmat. theol. tom.* V p. 337.

ptum declinaſſe [l]); diſplicet vero ALEXANDRI coniectura, præſulem illum pronuntiaſſe hæc de adſumta a chriſto humana natura. Quicumque enim totam, quam recitaui, orationem, adcurate expenderit, intelliget, CYRILLVM ſedulo natiuitatem chriſti ab eius adoptione diſtinguere. Nihil ergo obſtare, mihi videtur, quo minus CYRILLVM vnionem vtriusque naturæ hypoſtaticam, eodem tempore factam, quo humanam ſibi adiunxit chriſtus naturam, conſtituiſſe dicamus hoc loco principium communionis idiomatum, per quam chriſtus homo eſt adoptatus, id eſt, filii dei nomen et dignitatem conſequutus. Verum quidem eſt, ſcripſiſſe CYRILLVM, nos ipſos huius adoptionis fieri participes; ſed omnino hæc commode queunt explicari, ita vt nihil in iis iure reprehendas. Adoptionem enim hominum, cum deo reconciliatorum, ipſe PAVLLVS inter ſalutares fructus numerauit, quos chriſti natiuitas ideoque, quæ ab illa nequit recte ſeparari, vnio hypoſtatica et communio idiomatum nobis adtulit. Aliud addidit PETAVIVS CYRILLI teſtimonium [m]), quo ſimilia tradidit. At conſulto me ab illo recenſendo et illuſtrando abſtineo, propterea quod ibi quidem dixit, naturam humanam ad conſortium filii dei

l) conf. CHR. AVG. SALIGIVM in *Eutychianiſm. ante Eutychen cap* XXX p. 307 ſqq.

m) *comm. in euangel. Ioann. libr.* XI. *cap.* 12 *tom.* IV *oper.* p. 1001.

dei fuiſſe prouectam σχετικῶς καὶ ὀ φυσικῶς; at, ne verbum quidem fecit de θέσει ſiue *adoptione*, ad quam omnis mea diſputatio refertur.

XIIII.

NON dubito, mentionem hoc loco facere LEPORII, qui Maſſiliæ ſolitarium vitæ genus amplexus, atque in presbyterorum ordinem lectus, erroribus Neſtorianis ſe ita addixit, vt multas in Gallia excitaret turbas atque ex illa eiiceretur. Recepit ſe in Africam atque AVGVSTINI opera potiſſimum ad veritatem cognoſcendam perductus, conſcripſit ibi *emendationis; ſiue ſatisfactionis libellum* [n]). In hoc condemnauit et reiecit dogmata, quæ olim approbauerat, ac varia chriſtianæ doctrinæ capita, in quæ iſta tempeſtate varii hæretici faciebant impetus, adcurate, perſpicue et eleganter expoſuit. Eum omnes errores, quibus in libello contradixit, antea eſſe complexum, valde dubitamus, propterea quod talia dogmata ibi deprehendimus confutata, quæ nullo modo inter ſe poſſunt coniungi, qualia ſunt Eutychianorum et Neſtorianorum. Accedit autem ad veritatem, eum non liberum fuiſſe a placitis

n) libellus LEPORII ſæpenumero in lucem editus fuit publicam, vti monent GVIL. CAVEVS *hiſtor. litter. ſcriptor. eccleſiaſt. tom.* I p. 402. et IO. ALB. FABRICIVS in *biblioth. Latin. med. æui* vol. IIII p. 799 ſqq. Nos quidem vtimur editione IO. GARNERII *tom.* I *oper.* MARII MERCATORIS p. 224 ſqq.

citis Neſtorianis, quibus aperte ibi contradicit. Etenim eum omnino inter eos fuiſſe, qui ante Neſtorium doctrinæ illius ſe præberent patronos, IO. CASSIANI [o]), FACVNDI [p]), aliorumque teſtimoniis conſtat, vt de recentioribus, DIONYSIO PETAVIO [q]), IOANN. GARNERIO [r]), IOANN. PEARSONIO [s]), IAC. LONGVEVAL [t]), monachis benedictinis [u]) et REMIG. CEILLERIO [x]) ſileam. Quare facile mihi perſuadeo, LEPORIVM ea ratione chriſtum filium dei *adoptiuum* dixiſſe, vt adoptio, quam comminiſcebatur, vnioni hypoſtaticæ aduerſaretur eamque tolleret, ſi cogito, eum, vt corrigeret, quæ commiſiſſet, doctrinæ vitia, inter alia hæc protuliſſe [y]): *in hoc maxime fides noſtra conſiſtit, vt credamus vnicum filium dei non adoptiuum; ſed proprium.*

XV.

Neque omitti a me, decet, LEONEM *magnum*, Romanum præſulem; Eius enim aucto-

o) de *incarnat. chriſti libr.* I *cap.* 3 p. 686 *oper.* et *libr.* VII *cap.* 21 p. 795 edit. Francofurtenſis, ſiue potius Lipſienſis.

p) *libr.* I *pro defenſ. trium capit. cap.* IV p. 422 *tom* II *oper.* SIRMONDI.

q) *dogmat. theol. tom.* V p. 30.

r) *loc. cit.* p. 220 ſqq.

s) *expoſit. ſymbol. apoſtol.* p. 421.

t) *hiſtoire de l'egliſe Gallic. tom.* II p. 164.

u) *hiſtoire litter. de la France tom.* I p. 477.

x) *loc. cit. tom.* XI p. 325

y) §. XII p. 226.

auctoritate vſus eſt FELIX *Vrgelitanus*, quum ſeculo octauo doctrinam de adoptione chriſti ſententiis antiquiorum chriſtianæ ciuitatis doctorum confirmare, ſibi ſumeret. Teſtis eſt PAVLLINVS *Aquileienſis* [z]), qui falſo hæc a FELICE dici, grauiter pronuntiat adductisque aliis eiusdem LEONIS iisque luculentis effatis abunde comprobauit eum omnino alienum fuiſſe ab iſta ſententia.

XVI.

Maiori iure idem FELIX ad ALCIMVM AVITVM prouocauit, qui *adoptionis* voce omnino vſus eſt; ſed ita vſus, vt ſine ſumma iniuria nequeat vituperari. Dabo primo loco verba eius, vti recitauit ea AGOBARDVS, FELICIS aduerſarius [a]): *certe circumfrementibus Iudæis et in dominum noſtrum exſerta blaſphemiarum tela vibrantibus, quem reſpondiſſe credimus: amen dico vobis: ante Abraham ego ſum; niſi quia per concordiam genitoris et generis ipſe per traducem maternorum parentum deſcendit ex Abrahæ ſemine, qui ſine annorum numero Abraham præiuit æternitate? Qui maximus patriarcharum quum videret illum diem, in quo ſine fine permanet deus; concupiuit tamen illum videre, quo homo vnitus eſt deo. Vidit, inquit, et gauiſus eſt, quia ſicut cernebat illum, in quo erat genuina maie-*

z) *libr.* III *contra Felicem cap.* 26 et 27 p. 165 ſq. ed. MADRISII.

a) *libr. aduerſ. Felicem cap.* XXXXI *tom.* I *oper.* p. 55. 5 edit. BALVZII.

maieſtas; ita et iſtum deſiderio conceperat, *in quo* ADOPTATA *illuſtrabatur* HVMILITAS. Quamuis hæc nonnihil diſcrepent, ab iis, quæ IAC. SIRMONDVS [b]) typorum formis deſcribenda curauit; conſentiunt tamen lectiones AGOBARDI cum codice, manu exarato, qui Gratianopoli in poſſeſſione Petri Morneſii fuit, teſte STEPH. BALVZIO [c]), neque impedimentum omnis differentia noſtræ diſputationi infert, ſiquidem vtrobique verba deprehenduntur: *adoptata humilitas*, de quibus diſceptamus. Horum qualis ſit ſententia, quisque facile coniectura adſequetur; nec errauit a veritate AGOBARDVS, qui *adoptandi* verbo hoc loco idem cum *adſumendi* vocabulo ſignificandi eſſe vim, ſatis recte monuit. At omnino reprehenſione non carebit AGOBARDVS, quum ineptam ingreſſus eſt, contra FELICEM diſputandi rationem, ac protulit argumenta, quibus nihil prorſus efficitur. FELIX, vbi ad noſtrum effatum prouocauit, quaſi AVITVS id de adoptione filii dei, quatenus homo eſt, pronuntiaſſet, grauiter omnino peccauit, falſamque illi adhibuit interpretationem; AGOBARDVS vero æque negligentiæ culpam contraxit, quum obiiceret FELICI, vt liberaret ALCIMVM a ſuſpicione erroris Adoptianorum, aliud

b) *tom.* II *oper.* p. 13 Leguntur verba noſtra in ALCIMI *epiſtola* II.

c) *not. in Agobard. oper.* p. 15.

aliud illius teſtimonium, ita expreſſum [d]): *apoſtolus autem dicit: poſtquam vero venit plenitudo temporum, miſit deus filium ſuum. Enimuero, qui mittitur, erat antequam mitteretur; Quia ſi ante Mariam non fuiſſet, hunc ſimilem ceteris* ADOPTIO *faceret dei filium, non natura. Nec in euangeliis ipſe dixiſſet: tantum dilexit deum mundum, vt filium ſuum vnicum daret: non electum ergo ab ipſa ineffabili paternitate, ſed genitum cui tam deo; quam homini vero, in vtraque natura fideliter proprio: in diuinitate emanaſſe de patre: in corpore cœpiſſe de matre.* Quæ quum recitaſſet AGOBARDVS, concluſit ita orationem: *ecce catholicus doctor veridice contra Felicem teſtatur, quod deus noſter nec adoptione; nec electione ſit filius patris; ſed genere et proprietate.* At egregie fallitur bonus vir. Tantum abeſt, vt oppugnet AVITVS hoc loco errorem, quem putat, de adoptione chriſti, vt ei certo modo fauere videatur. Scripſiſſe enim hanc epiſtolam contra Photinianos, qui chriſtum, antequam a Maria ſuſciperetur, negarunt, exſtitiſſe, ſupra omnem dubitationem poſitum eſt [e]). Quare ſi chriſtum *non adoptione* filium dei eſſe contendit, hæc ad naturam eius non humanam, de qua FELIX loquutus eſt; ſed diuinam referenda eſſe, quisque videt. Contra ea AVITVS bene qui-

d) *epiſt.* XXVIII p. 67. 68.
e) conf. SIRMONDVS *not.* ad hanc epiſtolam p. 65.

quidem diuinam ab humana diſtinguit chriſtumque aeque verum deum; ac verum hominem eſſe docet; ſed peſſimo exemplo de vnione vtriusque naturae prorſus ſilet. Ab illa doctrina nunquam abhorruiſſet NESTORIVS; ſed lubens eam fuiſſet amplexus; nec repugnat illa ſententiae FELICIS, ſi vel vnquam is a partibus Neſtorii ſteterit. Hoc ea de cauſſa monendum eſſe, duxi, ne quis NATALIS ALEXANDRI *f*) auctoritate decipiatur, qui AGOBARDI reſponſa repetiuit atque adprobauit.

XVII.

SECVLO ſexto eruditionis laude magnaque apud purioris doctrinae vindices auctoritate floruit FACVNDVS Hermianenſis in Africa epiſcopus. Sententiam de chriſto filio dei adoptiuo is non ſolum animo complexus eſt; ſed defendendam etiam ſuſcepit et argumentis confirmandam. Egregium hac de re perhibent teſtimonium ea, quae ita diſputat *g*): *adoptionem quoque filiorum ſuſcepiſſe chriſtum, ſi antiqui doctores eccleſiae dixiſſe monſtrarentur, nec ipſi, nec omnis eccleſia, quae tales doctores habuit, indicari deberet haeretica. Nam adoptionis ſacramentum ſuſcipere dignatus eſt chriſtus, et quando circumciſus eſt, et quando baptizatus eſt, et poteſt ſacramentum adoptionis adoptio nuncupari. Sicut ſa-*

f) *loc.* cit. p. 802.

g) pro *defenſ. trium capitulor. libr.* IX *cap.* 5 *tom.* II *oper.* SIRMONDI p. 707 ſqq.

cramentum corporis et ſanguinis eius, quod eſt in pane et poculo conſecrato, corpus eius et ſanguinem eius dicimus, non quod proprie corpus eius ſit panis et poculum ſanguis, ſed quod in ſe myſterium corporis eius ſanguinisque contineant. Hinc et ipſe dominus benedictum panem et calicem, quem diſcipulis tradidit, corpus et ſanguinem ſuum vocauit. Quocirca ſicut chriſti fideles ſacramentum corporis et ſanguinis eius accipientes, corpus et ſanguinem chriſti recte dicuntur accipere; ſic ei ipſe chriſtus, ſacramentum adoptionis filiorum quum ſuſcepiſſet, potuit recte dici adoptionem filiorum ſuſcepiſſe. Alioquin neque de nobis dicendum eſt, quoniam adoptionem ſuſcepimus filiorum; aut quia redemti ſumus atque ſaluati, quoniam Apoſtolus dicit: nos ipſi primitias ſpiritus habemus et ipſi intra nos gemimus adoptionem filiorum dei exſpectantes, redemtionem noſtri corporis. Spe enim ſalui facti ſumus; ſpes vero, quae videtur, non eſt ſpes. Sicut ergo, quamuis adhuc ſecundum apoſtolum exſpectemus adoptionem et redemtionem et ſalutem; tamen quia iam ſacramentum adoptionis non ad vtilitatem ſuam, ſed ad ipſus ſacramenti confirmationem, in circumciſione et baptismo ſuſcipiens, ſicut apoſtolus ait: dico enim chriſtum miniſtrum fuiſſe circumciſionis propter veritatem dei ad confirmandas promiſſiones patrum, potuit antiquis eccleſiae doctoribus recte dici, quod adoptionem ſuſceperit filiorum. Cum his neceſſe eſt, vt coniungantur, quae paucis interpoſitis, addidit

FACVN-

FACVNDVS [h]): *illud autem quis ferat, quod aliqui dicentes, credere ſe nobiſcum, duas eſſe chriſti naturas et deum illum atque hominem non negantes, ſi audierint, quod gratia ſit filius dei, ſic deteſtantur hoc verbum, tamquam ſi de illo dicatur, qui deus tantum, non etiam homo ſit. Sicut autem et natura filius eſt hominis propter veram humanitatem et dignatione filius eſt hominis propter veram deitatem; ita etiam et natura filius dei eſt, propter veram deitatem, et gratia filius dei eſt propter veram humanitatem. Si vero et ſecundum humanitatem natura filius dei vocatur, in illud Apollinaris inciditur, quod credidit, deum verbum ex parte ſuæ ſubſtantiæ, quæ tota vbique eſt et partiri non poteſt, carnem ſibi feciſſe. Quod ſi veraciter duas dicunt eius naturas et ambæ diuinæ eſſe non poſſunt, quia humanitatis vna natura eſt, procul dubio, non quemadmodum ſecundum diuinitatem filius dei eſt; ita etiam ſecundum humanitatem non eſt natura filius dei, neceſſario ſequitur, vt aut meritis; aut gratia ſit filius dei, qui ex quo eſſe cœpit, non fuit alius quam filius dei. Reſtat ergo, vt ſecundum humanitatem gratia ſit filius dei.* Qua vtitur, FACVNDVS, loquendi formula: *chriſtum eſſe ſecundum humanitatem filium dei gratia, non natura,* idem certe ſignificat, quod *adoptionis* vocabulum. Illam adhibuit primus AVGVSTINVS [i]), qui ſedulo alioquin *adoptionis* vocem fugit, vitavit

h) p. 709 ſeqq.
i) *de prædeſtinat. ſanctor. cap.* XV.

uit ac deteſtatus eſt. Sententiam FACVNDI licet magno plauſu proſequatur NATAL. ALEXANDER [k]); prudentius tamen vidit eamque niſi prorſus reiiciendam; caute tamen temperandam eſſe, confeſſus eſt DIONYS. PETAVIVS [l]). Argumentum, quod ex baptiſmo chriſti deſumſit, futile eſt; nec ſolum falſam opinionem ponit conſtituitque ratiocinationis fundamentum; ſed etiam manifeſtum complectitur errorem, quem, certum eſt, acrius in NESTORIO fuiſſe damnatum ſi is eum protuliſſet. Ponas enim, chriſtum per baptiſmum fuiſſe adoptatum, annon ſequi putas, vt per illum fuerit regeneratus adeoque ante illum peccator? Quæ poſtremo loco poſuit, æque diſplicent. Imponunt enim iis, qui ea adprobant, neceſſitatem, concedendi, perinde filium dei fuiſſe filium hominis gratia, vt filius hominis gratia fuerit filius dei. Quod abhorrere a vero, quemque ſentire oportet. Neque arduum eſt, falſæ ſententiæ, quam FACVNDVS ita concepit, vt parum a Neſtorianis diſcederet, inueſtigare cauſſas. Neglexit enim, unionem illam vtriusque naturæ hypoſtaticam vrgere, qua omnis controuerſia facile componitur ac patrum effata rectius explicantur; quam per coactas et expreſſas illas ratiocinationes.

XVIII.

AD ſeculum progredimur *ſeptimum*, quod

k) *hiſtor. eccleſiaſtic. tom.* IV p. 80.
l) *dogm. theol. tom.* V p. 327 ſqq.

quod eruditionis, quam conſequuti ſunt, laude illuſtrarunt EVGENIVS ILDEPHONSVS et IVLIANVS in Hiſpania epiſcopi celeberrimi. Quos dum FELIX olim, tamquam ſententiæ ſuæ patronos et vindices, adduxit, nefas eſſet, illos hoc loco a me prætermitti. Seruarunt teſtimonium FELICIS, in quo omnis controuerſia eſt poſita, doctores in Francofurtenſi concilio congregati, his verbis expreſſum m): *item prædeceſſores noſtri Eugenius, Hildephonſus, Iulianus, Toletanæ ſedis antiſtites, in ſuis dogmatibus ita dixerunt in miſſa de cœna domini: qui per adoptiui hominis paſſionem, dum ſuo non indulſit corpori. Item in miſſa de adſcenſione domini: hodie ſaluator noſter poſt adoptionem carnis, ſedem repetiuit deitatis, et cetera.* Quæ recitauit FELIX, verba ex *liturgia Mozarabica*, qua Hiſpani vtebantur, deſumta eſſe, nemo non videt. Licet ea nihil difficultatis habeant ac recta interpretatione ad puriorem de chriſto ſententiam queant referri, acrius tamen de iis viri docti diſputarunt, vt præſidium, quod ſuæ opinioni in illis collocatum eſſe, FELIX arbitrabatur, euerterent. Concilii Francofurtenſis patres, quum ad argumentum illud leuiſſimum minus apte reſponderent, controuerſiæ nouæ quaſi dederunt alimenta. Ignoſcendum illis; ſiue ætati potius, qua magis auctoritate doctorum; quam argumentis

m) conf. PHIL. LABBEI *concil. tom.* VII. p. 1034.

tis firmis verum comprobari conſueuerunt. Obiecerunt enim ei n) non ſolum diuinum oraculum de filio dei vnico, perperam ad confutandum FELICEM adductum; ſed etiam teſtimonium GREGORII *magni*, ac ſatis ridicule adiecerunt, preces illas, quæ eccleſiæ non eſſent communes; ſed Hiſpanis propriæ, a deo non audiri. Conceſſerunt ergo, effata, quæ FELIX excitauerit, omnino in liturgia Mozarabum exſtare. Nec rectius diſputauit ALCVINVS o). Ita vero ille: *poſt teſtimonia igitur*, inquit, *ſanctorum patrum, quæ multa quidem et quædam etiam vere poſuiſti, ſed omnimodis catholicis, non hæreticis, fauentia, præſules quoque Hiſpaniarum inducis: quos tu orthodoxos dicis, in his, quæ poſuiſti, orationibus indubitanter hæretici eſſe dignoſcuntur. Niſi forte et eorum dicta, ſicut et in ceteris ſolebas, deprauares, ſcilicet vt quod illi bene dixerant, tu in adiumentum erroris tui mutare et alterum pro altero mittere auſus ſis. Adſerunt enim quidam ex illis patribus, vbi tu dixiſti vel adoptionem vel adoptiui hominis, eos dixiſſe pro adſumtione et pro adoptiui adſumti: et in hoc quoque tua maleuola arguitur pertinacia. Si enim in tua ſententia, quaſi in veritate confideres, nequaquam ea quæ ab aliis bene dicta ſunt, in prauum ſenſum mutares.* Audimus hic hominem mobilem, inconſtantem, tum hoc; tum illud dicentem; quid

n) conf. LABBEVM *loc. cit.*
o) p. 830 *oper.*

quid vero certum ſit, neſcientem. At his peiora ſunt, quæ addit: *ſiue mutata; ſiue vt ab eis ſunt dicta, hæc eadem teſtimonia a te ſint poſita, non magnopere curandum eſt. Nos enim Romana plus auctoritate; quam Hiſpana, veritate adſertionis et fidei noſtræ fulciri deſideramus, licet nec illa reprobemus. In his tamen, quæ catholice dicuntur, vnusquisque in hoc ſe refutandum ſciat, in quo ab uniuerſali diſſentit eccleſia.* Hæc vero de Romana cupit accipi. Mitto ea, quæ a propoſito meo longius abeſſe videntur. Satis mihi eſt, ALBINVM de integritate verborum, quæ adduxerat FELIX, dubitaſſe; ſed non auſum fuiſſe, fraudis, in corrumpendis liturgiæ Hiſpanicæ libris admiſſæ, aperte eum arguere. Alibi veritati idem ALBINVS plus tribuit. Accidit, ni fallat me coniectura, vt ipſe libros liturgicos, quos eum antea non vidiſſe, quisque intelligit, inſpiceret atque *adoptionis* et *adoptiui* vocabula, a FELICE et ELIPANDO notata, inueniret. Quare temperauit ſibi, quominus illis atrox crimen inferret; nihilominus libros deprauatos eſſe cenſuit, hancque ſententiam argumentis, ex orationis vinculis petitis, confirmare ſtuduit: addidit denique, ſe legiſſe præſtantiſſimorum Hiſpaniæ doctorum monumenta, neque in illis vllum doctrinæ de adoptione inueniſſe veſtigium. In neutro argumento, lubens fateor, ineſſe tantam virtutem, vt certiſſime inde concludi queat, Mozarabes in precibus

ſuis

ſuis voces controuerſas recitaſſe. Nihilominus in hanc ſententiam diſceſſere recentiore ætate CAESAR BARONIVS p), IO. BONA q), IO. PINIVS r), IOS. SAENTZ. AGVIRRIVS s), THEOPH. RAYNAVDVS t), IAC. LONGVEVAL u), licet nonnulli ex his parum ſibi temperauerint, quo minus deprauationis culpam in ELIPANDVM et FELICEM conferrent; quod carere omni veritatis ſpecie, nemo non videt. Hoc certum eſt, verba, in dubitationem vocata, noſtra ætate in formulis precum Hiſpanicis deſiderari, nec legi inter orationes, quas vir ſummus IOSEPHVS BLANCHINIVS v) primus ex codice Veronenſi antiquiſſimo in lucem reuocauit publi-

p) *annal. eccleſ. ann.* DCCXCIIII §. VIII *tom.* XIII p. 261.

q) *rer. liturg. libr.* I *cap.* 12 p. 62. edit. Romanæ.

r) in *tr. hiſtorico-chronolog.* de *liturgia Mozarabica*, præmiſſo antea *tom.* VI *iul. actor. ſanctor.* Antverp. ſeparatim deinde edito Romæ MDCCXXXX fol. denique ampliſſima collectione, hac inſcriptione: *liturgia antiqua Hiſpanica, Gothica, Iſidoriana, Mozarabica, Toletana mixta illuſtrata*, Romæ ann. MDCCXLVI ornata, comprehenſo *cap.* IV §. 3 p. 36. In docto iſto libello origines et fata liturgiæ Mozarabicæ fuſius exponuntur, ita vt lectorem, qui ſcire cupit, quid ſit, quod Toletanis epiſcopis ab ELIPANDO verba liturgiæ memoratæ tribuantur, iure ad eum ablegem.

s) *concil. Hiſpan. tom.* III *præf.* §. 12 p. 7 ſeqq.

t) *oper. tom.* II p. 47.

u) *hiſtoir. de l'egliſe Gallicane tom.* V p. 20.

v) Vid. *liturgiam Hiſpan. illuſtrat. tom.* I et II.

publicam. Quare ita ſentio, fieri potuiſſe, vt voces *adoptionis et adoptiui*, licet reuera vtroque loco nihil præter adſumtam humanam naturam ſignificent, a patronis huius doctrinæ *) in nonnullos codices fuiſſe illatas: hisque vſos eſſe FELICEM et ELIPANDVM, ita vt ipſi a ſuſpicione corruptorum librorum iure liberentur. Nulla plane liturgiæ Hiſpanicæ exempla exſiſtere, in quibus ita legatur, nec credo; nec, ſi certum ſit, miror. Mauros enim fere omnem Hiſpaniam vaſtaſſe atque diripuiſſe et innumeras cædes, rapinas atque incendia feciſſe, ſi cogitaueris, facile intelliges, exiguum certe numerum ſupereſſe codicum ſcriptorum, qui ætatem octingentorum annorum excedant; hos vero omnes, quis credat, ab Hiſpanis, criticarum rerum parum ſtudioſis, fuiſſe ſedulo inter ſe comparatos: poſt ELIPANDI denique tempora ſacrorum præſules ac librarios diligentius cauiſſe, vt ne in formulis precum relinqueretur, quod hæreticis faueat, ſupra omnem dubitationem poſitum eſt. Qui hæc temere a me iudicari putat, ſciat ille, longe peius de libris liturgicis Hiſpanorum, qui ſuperſunt, ſtatuiſſe CAIETANVM CENNIVM y), qui nec locum noſtrum attingere neglexit.

XVIIII.

*) ante ELIPANDVM in Hiſpania et Bonoſianos et THEODISCVLVM, de quo pauca nunc addam, *adoptionem* defendiſſe, conſtat.

y) de *antiq. eccleſ. Hiſpan. tom.* II. p. 346.

XVIIII.

EXTREMO denique loco nominari a me oportet THEODISCVM, ſiue quod alii malunt THEODISCVLVM, poſt ISIDORVM, qui ann. ſeculi ſeptimi XXXVI ex hac vita diſceſſit, ad ſacra Hiſpalenſia gubernanda admotum. De eo quæ ad noſtram perlata ſunt memoriam, continentur teſtimonio LVCAE TVDENSIS [z]), qui quum narraſſet, fuiſſe Theodiſcum natione Græcum atque in locum ISIDORI ſurrogatum, hæc ſubiecit: *hic infidelis inuentus et erroneus in articulis fidei comprobatus, per ſynodum ab archiepiſcopali dignitate degradatus eſt. Adſerebat enim, dominum noſtrum Ieſum Chriſtum cum patre et ſpiritu ſancto non eſſe vnum Deum; ſed potius adoptiuum. Hic, vt dictus eſt priuatus honore ſacerdotii, ad Arabes tranſiit et ſectæ pſeudoprophetæ Mahometi adhæſit et plura docuit deteſtanda ſub imperatore Heraclio.* Quibus conſtat, THEODISCVM contra doctrinam de diuina Chriſti natura pugnaſſe ac fouiſſe errorem Arianum. Quare vero mihi videtur ſimile, dediſſe eum familiæ Bonoſianorum nomen, quos in Hiſpania praua ſua dogmata diſſeminaſſe, alibi me monſtrare, memini. Ex LVCAE fonte hæc in ſuos riuulos deduxit CAESAR BARONIVS [a]), huncque ſequuti ſunt CHRIST. SANDIVS

z) *chronic. mundi libr.* III. *tom.* IIII *Hiſpan. illuſtr.* p. 53.

a) *annal. eccleſ. ann.* DCXXXVI. §. IX *tom.* IX. p. 316.

DIVS [b]), IOANN. FR. MADRISIVS [c]) atque ex noſtris IO. TRELLVNDIVS [d]). Hic addit coniecturam, quam VASQVETIVS [e]) primus fecerat, non penitus ſpernendam, verba BEDAE [f]): *noua hæreſis in angulis occulta ſuſurrat, chriſtus eſt adoptiuus, ſed clarius vniuerſalis ſanctæ eccleſiæ vox reſonat: chriſtus eſt filius dei adoptiuus*, quæ nonnulli de FELICE et ELIPANDO interpretantur, ad noſtram eſſe referenda. Sed de his alibi dicendi, opportunitatem nanciſcar.

b) *nucl. hiſtor. eccleſ.* p. 353.
c) *diſſ. hiſtor. de Felic.* p. 212.
d) *diſſ. de Felic. et Elip. ſect.* 1. §. 9. p. 364. edit, *Vogtii*.
e) in III *part. Th. diſp.* LXXXIX. p. 710,
f) *comm. in Io.* VII. *tom.* III. *oper.* p. 51.

CAPVT II.

QVO HISTORIA ADOPTIANORVM SECVLI OCTAVI ET NONI, ID EST, ELIPANDI ET FELICIS, EXPONITVR.

SECTIO PRIOR, QVAE HISTORIAM CONTROVERSIAE COMPLECTITVR.

I.

FELICITER ergo ad ſeculum poſt reſtitutam humano generi ſalutem priſtinam octauum peruenimus, quo ELIPANDVS ac FELIX in Hiſpania doctrinam de chriſto, filio dei adoptiuo, obliuioni fere traditam, reuocarunt quaſi et animo ſuo complexi ſunt, eamque omni diligentia propagarunt et contra diſſentientes defenderunt, ita, vt inſignium in ciuitate chriſtiana turbarum auctores eſſent ac duces. Quare accidit, vt nemo omnium, qui eidem ſententiæ fuerunt addicti, hoc nomine tantam conſequeretur nominis famam, quantam Hiſpani noſtri reliquere. De his quum adcurate exponere animus mihi eſt, viſum fuit, hunc tenere tractandi argumentum æque arduum ac iucundum ordinem, vt temporis potiſſimum ſeruentur rationes, ac quum de dogmatibus illorum

rum viri docti omni tempore diſſenſerunt, quæ annalium ſcriptores prodiderunt atque vtriusque partis monimenta perhibent, ſine omni interpoſito iudicio, enarrentur, antequam quid de his ſentiendum ſit, vere definiam.

II.

ELIPANDVM ac FELICEM controuerſiæ, quam nunc perſequar, fuiſſe auctores, quum ſupra omnem dubitationem poſitum eſt, partium mearum eſſe ſentio, de vtroque ſtrictim referre, quæ memoriæ tradita ſunt. ELIPANDVS quidem quis fuerit, quanam gente ſit ortus, quale vitæ genus ſectatus, antequam in ſacrum ordinem cooptaretur, ea omnia me ignorare, non diffiteor. Quæ IO. MARIANA [a]) ſcripſit: *Elipandus ex antiqua Gothorum gente prognatus erat*, vera eſſe, nec nego; neque adfirmo, vſque dum certiora adferantur rei documenta, quam teſtimonium ſcriptoris *vitæ Beati* [b]): quæ idem addit, FELICEM fuiſſe Elipandi *a primis litterarum rudimentis* magiſtrum, manifeſto falſa ſunt, quum Elipandum Felice ætate longe maiorem fuiſſe, nemo dubitat. Admotus fuit ELIPANDVS ſacris Toletanis gubernandis, archiepiſcopi titulo dignitateque ornatus; neque opus eſt, recitare veterum teſtimonia, quæ in locum magis opportunum oportet reſerua-

a) *hiſtor. Hiſpan. lib.* VII. *cap.* 8. *tom.* I. p. 275.
b) apud MABILLONIVM *act. ſanct. ord. Bened. tom.* IV. *part.* I. p. 692.

ſeruari. Qui LVITPRANDI nomen mentitus eſt, chronici ſcriptor c), vſu id veniſſe ann. æræ Hiſpanicæ DCCCXX, chriſtianæ DCCLXXXII teſtatus eſt; ſed nullam eius eſſe auctoritatem penes viros peritos, inter omnes conuenit. De ætate, qua vixit, facilis eſt coniectura. Exſtat enim ELIPANDI ad Felicem epiſtola d), quam nonnullis interiectis ann. DCCLXXXXII exaratam fuiſſe, comprobabo, ad explicandam quæſtionem adprime idonea. Ibi hæc ait: *me tamen cognoſcite ſenectute iam decrepita octuageſimo ſecundo anno a die octauo Kal. Aug. ingreſſum fuiſſe.* Quare conficitur, primum eum lucem adſpexiſſe d. XXV Iul. ann. Chriſt. DCCXI. Floruit et ingenii ac doctrinæ laude et magna virtutis exiſtimatione. Honorifice certe multa de eo prædicauit ALCVINVS; licet animum ei maxime infenſum vbiuis oſtenderet, ita vt non videam, quomodo ab adulationis crimine ſit excuſandus, in quod eum vocauit IAC. BASNAGIVS e), ſine cauſa contradicente IO. FRANCISCO MADRISIO f). Expendat, quis-

c) conf. LVITPRANDI *oper.* p. 410. edit. DE LA HIGNERA.

d) inter *opera* ALCVINI p. 995 edit. QVERCETANI et in *adpendic. prim. oper.* PAVLLINI *Aquileienſis* p. 245. edit. MADRISII.

e) in *hiſtoric. obſeruationib. circa Felician. hæreſ.* §. II. p. 286. *tom.* II. *part.* I. *lect. antiqu.* CANISII.

f) in *animaduerſ. in Iac. Baſnagii hiſtoricas circa hæreſin Felicianam obſeruationes* p. 227 *oper.* PAVLLINI *Aquileienſis.*

quisquis animum a partium ſtudio liberauerit, hæc ALCVINI verba [g]): *lux es, ſanctiſſime præſul, ciuitas ſuper montem poſita, quæ nullatenus abſcondi poteſt, cuius murus nequaquam debet inſidioſis cuniculis cuiuslibet perfidiæ alicubi perforari; ſed firmiſſimo catholicæ fidei munimine ex omni parte circumdari, vt inexpugnabilis vndique ad ſalutem totius populi, qui in te gaudet et tui oris imperium reſpicit, permaneat*; atque ipſe iudicet, quid de tantis laudibus ſit ſtatuendum. Cetera, quæ de Elipando litterarum monumentis tradita ſunt, ad controuerſiam ſpectant; nec commode ab illius hiſtoria poſſunt disiungi [h]).

III.

DE FELICE itidem pauca accepimus a veteribus relata. Quænam patria eius fuerit, acrius inter ſe diſſentiunt viri doctiſſimi. Exſtat priſci ſcriptoris teſtimonium [i]), proſapia noſtrum fuiſſe *Gallum*. Idem aliis quoque fuiſſe perſuaſum, docet IO. MARIANA [k]); ipſe vero prudens abſtinuit declaranda ſua ſententia.

g) *epiſt. ad Elipand.* p. 902 *oper.* edit. QVERCETANI.

h) de Elipando ſtudioſe commentatus eſt HENRICVS FLORVS in *Eſpanna ſagrada tom.* V. *tract.* V. *cap.* 5. §. 58 ſqq. p. 352. Addantur NIC. ANTONIVS *biblioth. Hiſpan. vet. tom.* I. p. 327. et IO. ALB. FABRICIVS *biblioth. latin. med æui vol.* II. p. 279.

i) *vit. S. Beati* apud BOLLANDVM *tom.* III. *febr. act. ſanct.* p. 147.

k) *loc. cit.*

tentia. Galli enim, qui ea ſunt ingenii indole, vt nihil, niſi præclarum, aut laude aliorumque populorum imitatione dignum, ex regno ſuo prodire, arbitrentur, iniuriam genti ſuæ putant inferri, ſi quis Felicem dixerit eſſe Gallum. hominem quippe hæreſeos toties condemnatum. Exemplo nobis eſt IO. MABILLONIVS [l]), ſapiens alioquin et modeſtus vir, qui *feſtiui*, inquit, *ſunt Hiſpani, qui ſi quos habent nebulones, Gallis adſcribunt; quos autem ſanctos habemus inſigniores, ſibi vendicant.* Contra hæc MABILLONII dicta diſputauit nonnulla IAC. BASNAGIVS [m]), iterum a MADRISIO [n]) aſperius et iuſto vehementius reprehenſus; vterque vero in eo peccauit, qnod FELICEM poſſe Gallum appellari credat, quia Vrgellitana ciuitas Gallorum tum ſubiecta eſſet imperio. Male enim ita argumentantur, quia negligunt prorſus demonſtrare, Felicem in eadem vrbe, cuius ſacra poſtea gubernauit, fuiſſe ortum. Vtcumque ſit, recte creditur, Felicem in Hiſpania primam adſpexiſſe lucem. Nulla enim eſt cauſſa, cur fidem derogemus EGINHARDO [o]) ſcriptori, qui expreſſis verbis: *Orgellis*, inquit, *eſt ciuitas in Pyrenaei montis iugo ſita,*

l) *act. ſanct. ord. Bened. tom.* IV. *part.* I. p. 736.

m) *loc. cit.* p. 785.

n) *loc. cit.* p. 727.

o) *annal. Franc. ann.* DCCXCII. edit. MART. BOVQVETI *tom.* V. *ſcriptor. rer. Gallic. et Francic.*

ſita, cuius epiſcopus nomine Felix, natione Hiſpanus cet. Teſtimonio hoc recte vſus eſt poſt MABILLONIVM, NIC. ANTONIVS p) ac luculenter monſtrauit, veteris ſcriptoris, cuius auctoritate ſecus ſentientes innituntur, commentarios tot vitiis atque inanibus fabulis eſſe refertos, vt nullum pretium illis queat ſtatui. Felicem præſulis Vrgellitani q) munus ac dignitatem eſſe conſequutum, tot habemus teſtimonia, quotquot erroris illius iniecere mentionem. De vrbe hac bene ita diſſerit CAROLVS LE COINTE r): *Vrgella; ſiue Orgella; vel Orgellis; aut Orgelium; vrbs Hiſpaniæ citerioris ad Sicorim amnem; nec procul a Galliarum confinio, Francis parebat et Aquitaniæ regno prouinciæque Narbonenſi tunc accenſebatur.* Confirmantur hæc iis, quæ ANDR. SCHOTTVS s) et STEPH. BALVZIVS t) de eadem vrbe adtulere. Quod ſi vera ſunt, quæ IO. TAMAIVS u), Hiſpanis ipſis malæ fidei nomine ſuſpectus, notauit, ante Felicem Dotilla Vrgellitanus fuit epiſcopus vitamque finiuit ann. DCCLXXXVIII. Erroris, quem in ADONE VIENNENSI notauit

p) *biblioth. Hiſpan. vet. tom.* I. p. 397.
q) conf. catalogum epiſcoporum Vrgellitanorum, quem confecit IO. TAMAIVS SALAZAR *martyrol. Hiſpan. tom.* V. p. 391.
r) *annal. eccleſ. Franc. tom.* VI. p. 476.
s) *not. in Iſidor.* apud AGVIRRIVM *concil. Hiſp. tom.* III. p. 77.
t) *præfat. in* MARC. *de marc. Hiſpan.* §. XIX.
u) *martyrol. Hiſpan. tom.* III. p. 393.

tauit IOANNES TRELLVNDIVS [v]), ſuſpicione omnino liberari debet. Librariorum enim negligentia vox *Aurelianus*, in locum nominis *Vrgelitanus* ſurrogata; hoc vero a cel. BOVQVETIO [x]) recte in priſtinum locum eſt reſtitutum. Non omittendum a me eſſe videtur elogium, quo Felicem ornauit ALCVINVS [y]) eumque virum *religioſæ vitæ præcipuum et ſanctitate ſpectabilem* adpellauit. Ingenii quoque ornamentis fuiſſe conſpicuum ac pro temporis ratione varia eruditione arteque inprimis, de grauiſſimis rebus apte et expedite diſputandi, excelluiſſe, ex iis, quæ a me de controuerſia eius dicenda ſunt, quisque intelliget. Varia reliquit ingenii monimenta, maximam partem ad doctrinam de adoptione Chriſti ſpectantia, itidem a me diligentius perſequenda. Quæ dum dedita opera enumerarunt monachi Benedictini, familiæ Maurianæ Pariſienſi adſcripti [z]), miror effugiſſe eos librum Felicis noſtri, contra Saracenos compoſitum, de quo ALCVINVS [a]) ad Carolum hæc ſcripſit: *diſputationem itaque Felicis cum Saraceno nec vidi; nec apud nos inuenta eſt. Immo nec audiui nomen illius antea. Tamen dum diligentius quæſiui, ſi quis ex noſtris famam illius audiret, dictum eſt mihi, quod apud Leidra-*

v) *diſſ. de hæreſi Felicis et Elipandi ſect.* II. §. I. p. 368.
x) *loc. cit.* p. 320.
y) p. 902 *oper.*
z) *hiſtoir. litter. de la France tom.* IV. p. 411.
a) *epiſt.* XV. p. 1511. *oper.*

Leidradum epiſcopum Lugdunenſem inueniri poſſet. Quare ſub feſtinatione direxi miſſum noſtrum ad præfatum noſtrum epiſcopum, ſi forte ibi inuenire potuiſſet, vt quam citiſſime veſtræ præſentiæ dirigeretur. Præter hoc teſtimonium, nihil de diſputatione iſta traditum eſt; nec fieri poteſt, vt adſentiam MADRISIO [b]), qui nimio Felicis odio *haud quidquam boni* in dialogo iſto ſcriptum fuiſſe, ſuſpicatus eſt.

IIII.

VTRVMQVE doctorem, ELIPANDVM et FELICEM, conſtat inter hæreticos ſeculi octaui referri. Quid de doctrina eorum certe ſit ſtatuendum, quum poſthæc diſquirere decreui, id vnum, ne nimis obſcura rerum haud peritis mea ſit oratio, notaſſe ſufficit, eos de chriſto docuiſſe, quod ſecundum humanam naturam non ſit filius dei naturalis, ſed adoptiuus ideoque, quatenus homo eſt, non verus deus, ſed nuncupatiuus. Propter hoc dogma bellum illis a ſecus ſentientibus eſt illatum, magnaque animi contentione geſtum. Quid actum fuerit, antequam enarrare adgrediar, neceſſe eſt, vt ad binas adcurate reſpondeam quæſtiones, de quibus diſcrepant doctorum virorum ſententiæ. Altera eſt, ex quonam fonte hauſerint ELIPANDVS et FELIX. Primus, quantum ſcio, de hac re diuinauit, CAESAR BARONIVS [c]): *ex conſuetudine*, inquit, *cum*

b) *diſſ. hiſtor. de Felic. et Elipandi hæreſi* §. LV. p. 221.
c) *annal. eccleſ. ann.* DCCXCIV. *§.* V. *tom.* XIII. p. 260.

cum Mahomedanis didiciſſe ita humiliter ſentire de chriſto ſecundum humanam naturam, infelix Elipandus exiſtimatur: inducens fortaſſe in animum, ſi hoc euincere potuiſſet, coniungere ſimul Mahomedanos et chriſtianos in vnam fidem. Idem ſibi placere, haud obſcure ſignificauit Hiſpanorum ille Liuius, IOANNES MARIANA d); nec abfuit NICOLAVS ANTONIVS e); ſed erronea hæc eſt coniectura et tantummodo ad augenda aliorum in FELICEM odia excogitata. Recte eam reiecit IAC. BASNAGIVS f) atque adduxit argumenta exquiſita. Quae quum iterum MADRISIVS g), qui defendit commentum illud, confutare ſibi ſumeret, turpiter ignorantiam doctrinæ Mahumedicæ prodidit. Quis, quæſo, tam amens ſit, vt noſtro æuo PETRI *Cluniacenſis* auctoritatem ſufficere, arbitretur, ad perſuadendum ſibi, Mahumedem a Sergio monacho factum eſſe chriſtianum Neſtorianum? Tam longo interuallo diſtat doctrina Moslemicorum de chriſto h) a Neſtoriana, ſi vel largiamur, huic deditum fuiſſe Felicem, vt non magis credendum ſit, accepiſſe Felicem, quæ doce-

d) *hiſtor. Hiſp. libr.* VII. *cap.* 8. p. 275.
e) *bibl. Hiſp. vet. Tom.* I. p. 328.
f) *loc. cit.* §. III. p. 287.
g) *dict. loc.* p. 228.
h) conf. IO. LVDOV. FREY *diſſert. qua Mohamedis ſententia de Ieſu expenditur*, Baſ. MDCCV; vt de aliis, qui Muhamedanorum dogmata explicarunt, ſileam.

docebat, a Mahumedanis, quam Americæ gentes barbaras a chriſtianis ſuas de malo genio nugas. Alios putare, noſtros a *miſſæ Mozarabicæ* auctoribus, quorum verba non ſatis intellexerint, fuiſſe deceptos, monet BASNAGIVS, neque id recte adfirmari poſſe. Nouam hanc in rem protulit coniecturam, quam miror, et BASNAGIVM, et MADRISIVM neglexiſſe, PETRVS DE MARCA [i]), qui ita ſcripſit: *error tamen, vt Alcuinus docet, initium ſumſit a presbyteris quibusdam, commorantibus apud Corduam.* Prouocat ad ALCVINVM [k]), cuius hoc eſt teſtimonium: *et vt video maxima perfidiæ huius origo de Cordua ciuitate proceſſit, ſicut in epiſtola illius Elipandi, ad Felicem præfatum directa, intelligi poteſt.* Ablegat ergo nos ad ELIPANDVM. Audiamus ergo eum, hæc pronuntiantem [l]): *ego vero direxi epiſtolam tuam ad Cordoba fratribus, qui de deo recte ſentiunt et mihi multa ſcripſerunt, quæ in tuo adiutorio debueram dirigere.* Ex his, niſi omnia me fallant, recte quidem colligitur, fuiſſe Cordubæ ELIPANDI ſectatores; at vero eos fuiſſe primos erroris magiſtros, quomodo inde queat probari, ego quidem non intelligo. Nec lubet diffiteri, mihi probabile videri, doctrinam de adoptione Chriſti a Bonoſianis in Hiſpaniam eſſe illatam atque ab eo tempore, clandeſtinis conſiliis conſeruatam:

i) de *marc. Hiſp. Libr.* III cap. 12 §. 1 p. 268.
k) p. 994 *oper.*
l) *epiſtol. ad Felic.* p. 997 *oper. Alcuini.*

ligata oratione *poëta Saxo* q), qui Francorum annales ſcripſit, a REINECCIO, CHESNIO, LEIBNITZIO et BOVQVETO editos, ita expreſſit:

celſa Pyrenæi ſupra iuga condita montis
vrbs eſt Orgellis, præſul cui nomine Felix
præfuit. Hic hæreſin molitus condere prauam,
dogmata tradebat fidei contraria ſanctæ,
adfirmans, chriſtus dominus, quia corpore ſumto
eſt homo dignatus fieri, non proprius ex hoc;
ſed quod adoptiuus ſit filius omnipotentis:
reſponſumque Toletano dedit hoc Helipando
pontifici, de re tanta conſultus ab ipſo,
atque ſuum ſcriptis defendere dogma libellis
omni, quo potuit, ſtudio curauit et arte.

Addimus IONAM *Aurelianenſem*, ſcriptorem ſeculi noni, qui idem ſignificauit, quum hæc litteris mandaret r): *emerſit ex eadem Hiſpania tempore ſanctæ memoriæ Caroli, piiſſimi atque inuictiſſimi Auguſti, quidam Felix nomine, actu infelix Vrgelitanenſis ciuitatis epiſcopus, qui iuncto ſuo ſceleratiſſimo errori Elipando, Toletanæ vrbis epiſcopo, ſecundum humanitatem non eſſe proprium filium dei, ſed adoptiuum prædicare auſus eſt.* Hæc niſi ſufficere videantur, plura adderem ſcriptorum effata; at lubens me ab illis recitandis abſtineo, quum ipſe nihil auctori-

q) *libr. III. ann.* DCCXCII. p. 156 edit. BOVQVETI *tom.* V *ſcriptor rerum Franc.*

r) *libr.* I *de cultu imag. tom.* XIV *bibl. max. patr.* p. 168.

auctoritatis eis tribuere ſoleo, quia innumeris exemplis compertum habeo, chronicorum ſcriptores inferioris ætatis ex antiquiorum commentariis ita ſæpenumero transſcripſiſſe, vt ne verba quidem mutarent. Adnumerauit his clariſſimus MADRISIVS [s]) verba ipſius FELICIS [t]): *vt pro me miſero, per quem vsque nunc in eccleſia dei contentio verſa eſt;* ſed ſi vera fateri licet, ea non tam clara ſunt, vt tuto probari iis putem, quod probari debet. Quod ſi animo meo complector cunctaque ſedulo expendo, tota de primo controuerſiæ auctore quæſtio videtur mihi eſſe λογομαχικη. ELIPANDVM enim recte cum PAVLINO dixeris *auctorem noxii ſceleris*, quod dum conſuluit de argumento grauiſſimo FELICEM, huic primus obtulit occaſionem, de illo meditandi; quæ in vtramque partem diſputari poſſint, exquirendi et concipiendi ſententiam, quæ ipſi placebat, eamque fuſius declarandi; nec peccaueris, ſi FELICEM pro auctore controuerſiæ habere malis, quod primus definite opinionem de chriſto filio dei adoptiuo eſt amplexus ſuaque apud Elipandum auctoritate effecit, vt eidem animum ſuum addiceret [u]).

VI.

s) *diſſ. hiſt. de Felic. et Elip. hæreſi* §. XVIII.

t) *confeſſ. fid.* p. 246 edit. MADRISII.

u) Hæc quum ſcripta eſſent, opportune in manus incidit IOANNIS DE FERRERAS *hiſtoriæ Hiſpanicæ* doctum opus, in quo nouam, vidi, ab illo produ-

VI.

PATET ergo, quænam fuerint controuerſiæ noſtræ origines. Aegre ferendum eſt, temporum iniuria ereptas nobis eſſe et litteras ELIPANDI et ad eas reſponſiones FELICIS. His enim, ſi vti nobis liceret, non dubito, multa nobis eſſe perſpecta, quæ obſcura nobis ſunt et tenebris circumfuſa. In his primum locum de tempore quæſtio tenet, quo iſta contigere. Qui Francorum hiſtoricos ſequuntur ac turbarum initia ad annum ſeculi octaui nonageſimum ſecundum referunt x), non aberrant ſolum a veritate, nec capiunt ſcriptorum ſententiam, ſed ignorant illorum conſuetudinem, res peregrinas eo demum anno commemorandi, quo in Gallia, aut Germania de iis agi cœpit. CAESAR BARONIVS y) ann. DCCLXXXIII primam contentionis iniecit mentionem: quod vero neglexiſſe videtur, officio probandi ſententiam, ſatisfecit ANTON. PAGIVS z) atque attu-

produci ſententiam. Credit enim, ELIPANDVM prius cum BEATO et ETHERIO diſputaſſe, quam rogauerit FELICIS ſententiam: hincque FELICEM ELIPANDI potius diſcipulum; quam magiſtrum exſtitiſſe, *tom.* II p. 517. edit. Gallicæ. Quamuis ei interpres, HERMILLIVS adſenſerit; pugnare tamen contra hanc coniecturam hiſtoricorum effata, quæ notaui, manifeſtum eſt.

x) ita indicauit NATALIS ALEXANDER *hiſtor. eccleſ. tom.* V p. 676.

y) *annal. eccleſ. ann.* DCCLXXXIII §. 6 *Tom.* XIII.

z) *critic. in annal. Baron. ann. memor.* §. 12.

attulit argumenta, quibus ante eum CAR. LE COINTE [a]) vſus eſt. Binæ exſtant ADRIANI pontificis Romani epiſtolæ [b]), ad Hegilam epiſcopum datæ. Altera ſcripta eſt ann. DCCLXXXII, qua nulla fit mentio FELICIANAE doctrinæ, licet alii in illa reprehendantur errores; altera vero, priore poſterior, qua FELICIS ſententiam reiicit, ideoque anni. DCCLXXXIII ſcripta. In eamdem diſceſſit ſententiam IAC. BASNAGIVS [c]), ſed recte eam corrigendam eſſe putauit IO. FRANCISCVS MADRISIVS [d]) ac monuit, minus probabile eſſe, eodem anno, quo ADRIANVS doctrinam reprehendit, illam ipſam a FELICE fuiſſe inuentam ac traditam. Conſequens ergo eſt, vt ante annum DCCLXXXIII ELIPANDVS et ſententiam FELICIS rogauerit; et tulerit eius reſponſum, licet annus adcurate nequeat definiri.

VII.

POSTQVAM ELIPANDVS adprobauit, quam FELIX ei ſignificauerat de adoptione chriſti ſententiam, non ſatis ei fuit, illam mente complecti; ſed aliis quoque tradendam et latius propagandam ſuſcepit. Teſtimonium hac de re perhibet IONAS *Aurelianenſis* [e]), qui

F 2

a) *annal. eccleſ. Franc. Tom.* V p. 227.

b) *epiſtol.* LXXXXVI et LXXXXVII *codicis Carolini* apud ANDR. DVCHESNE *hiſt. Franc. ſcript tom.* III p. 817.

c) *obſeru. hiſtor. circa Felic. hæreſin* §. 1 p. 284.

d) *loco cit.* §. VI ſqq. p. 212.

e) *loco cit.*

qui cum iis, quæ paulo ante recitauimus, verbis hæc coniunxit: *et hac virulenta doctrina vterque Hiſpaniam magna ex parte infecit. Deinde apoſtolorum chriſti actus imitari videri volentes, quum ipſi non apoſtoli chriſti, ſed præcones eſſent hoſtis antiqui, vnusquisque ſeparatim diuerſas prouincias eadem ſua inſana doctrina imbuendas, appetiuere: Eliphandus ſcilicet Aſturias et Gallicias, cuius diſcipulos me aliquando apud Aſtures vidiſſe, memini, quos et catholicorum virorum regionis illius, qui eorum veſanæ doctrinæ ſecundum ſanam doctrinam rationabiliter renitebantur, relatu perſpicuitatisque meæ probatu, ſecundum eorum habitum et actum; certiſſimos eſſe antichriſtos, liquido deprehendi;* nonnullis vero interpoſitis, hæc adiecit: *porro idem Felix, quum multis apud Septimaniam eumdem hauſtum peſtiferum propinauerit, eum tamen Galliæ Germaniæque, quantum in illo fuit, propinare voluit; ſed diuina gratia adminiculante, nullum apud Galliam Germaniamque error eius locum inuenire quiuit f).* Idem perhibent ETHERIVS et BEATVS g): *certe iam rumor eſt: iam fama eſt, et non ſolum per Aſturiam; ſed per totam Hiſpaniam et vſque ad Franciam diuulgatum eſt.*

f) huic IONAE effato innituntur, quæ notant PETR. DE MARCA de *marc. Hiſp.* p. 269 et monachi Benedictini in *hiſtoir de Languedoc. tom.* I p. 448. Similia leguntur in *vita S. Beati* ſupra laudata §. VI p. 148.

g) *libr.* I *aduerſ. Elipand.* p. 301.

eſt. Quonam tempore noſtri in prædicanda, quam conceperant, noua doctrina elaborauerint, licet IONAE teſtimonio non ſatis clare poſſit intelligi; probabile tamen eſt, factum id eſſe, antequam ceteri cœtus chriſtiani doctores illis reſiſterent, id eſt, ſub primis controuerſiæ initiis. Nec defuerunt, qui vtrique ſe adiungerent. Inter hos et dignitate et exiſtimatione eminuit ASCARIVS, præſul Bracarienſis, quem *conſentaneum* fuiſſe cum Elipando, grauiter teſtatus eſt ADRIANVS, Romanus pontifex [h]). FIDELEM abbatem Aſturicenſem commendauit ipſe ELIPANDVS conſtantiamque, qua eius addictus fuit doctrinæ, ſummopere prædicauit [i]). Addunt his MAXIMVM et IOVIANVM, neſcio quos, *centuriarum Magdeburgenſium* ſcriptores [k]), certiores vero ſunt monachi Cordubenſes; quorum ſuperiori loco feci mentionem.

VIII.

NOVA, quam ELIPANDVS et FELIX publice profitebantur, ſententia non poterat non

h) *epiſt.* XLVII *cod. Carol.* p. 819. Huic repugnant litteræ ARCARICI; ſiue ASCARII ad ELIPANDVM, huiusque ad illum reſponſio, quas IVLIANVS *archipresbyter* collegit; HIGVERA vero LVITPRANDI *oper.* p. 573 ſubiecit; ſed vtrasque confictas eſſe, NIC. ANTONIVS *biblioth. Hiſpan. tom.* 1 p. 327 abunde comprobauit.

i) in *epiſtola* a BEATO et HETHERIO recitata, de qua fuſius poſtea dicemus.

k) *centur.* VIII p. 325.

non multis videri erronea, temeraria atque integritati purioris doctrinæ infeſta et periculoſa, qui ſuum eſſe putarunt contradicere illis, eosque animo forti et conſtanti confutare. Inter hos ADRIANVM pontificem Romanum primum locum obtinere oportet, ſi creditur doctis viris, quos epiſtolam, ab eo ad Hiſpanos ſcriptam, ad ann chriſtian. DCCLXXXIII referre diximus. His non libet refragari; ingenue fateri autem nos oportet, argumenta, quibus coniectura hæc comprobari ſolet, leuiora mihi videri. Qui enim ita cenſent, in ea ſunt opinione, epiſtolarum, quas CAROLVS *magnus* olim in vnum corpus collegit; GRETSERVS autem primus in lucem edidit publicam, talem ſeruatum fuiſſe ordinem, vt quo tempore quæuis ſcripta ſit, inde queat colligi. At hanc opinionem falſam eſſe, nemo negauerit, qui diligentius codicem hunc inſpexerit atque obſeruauerit, disiectas omnino ibi eſſe et diſperſas pontificum Romanorum epiſtolas, vt nemo prudens temporis rationes ita deprehendat ſeruatas. Id recte monuit MARTINVS BOVQVETVS [l]); nec

l) *præfat. tom.* V *ſcript. rer. Franc.* §. LX p. 23. adde de hoc codice ill. GOTTFR. LEONH. BAVDISIVM *not. in Murator. Hiſtor. Ital. tom.* IV p. 412 ſqq. Id vnum obſeruamus, *codicem* noſtrum *Carolinum*, ſeparatim prodiiſſe in lucem cura IAC. GRETSERI Ingolſt. ann. MDCXIII translatum in ANDR. DVCHESNE *ſcript. rer. Francic. tom.* III p. 701. IAC. GRETSERI *oper. tom.* VI et BOVQVETI *laudatam collectionem tom.* V p. 485.

nec ſine cauſſa, quum epiſtolas illas denuo typis curaret deſcribendas, omiſſis iis, quæ ad Francorum res illuſtrandas non facerent, eas annis ſuis reſtituere, conatus eſt. Incertum ergo relinquere, ſatius eſt, quonam tempore compoſuerit ADRIANVS litteras illas, quas ad Hiſpaniæ præſules orthodoxos miſit iisque varia dogmata, quæ in Hiſpania tum tradi cœpere, tanquam contraria ſaniori doctrinæ, acrius reprehendit [m]). In eorum numero fuit ſententia ELIPANDI, de qua ita diſſerit: *porro et de partibus veſtris peruenit ad nos lugubre capitulum, quod quidam epiſcopi, ibi degentes, videlicet Eliphandus et Aſcaricus cum aliis eorum conſentaneis, filium dei adoptiuum confiteri non erubeſcant, quod nullus e qualibet hæreſi antea talem blaſphemiam auſus eſt obblaterare; niſi perfidus ille Neſtorius, qui purum hominem dei confeſſus eſt filium. Quapropter nullo modo eorum ſerpentinum venenum in qualibet parte veſtram ſubripiat; vel coinquinet dilectionem.* Admonet poſtea Hiſpanos, vt permanerent conſtanter in doctrina vera, a chriſti legatis tradita et a præſtantiſſimis cœtus chriſtiani doctoribus ſumma fide propagata. Quam vt explicaret recte ac comprobaret, attulit et

 ſcriptu-

m) epiſt. XCVII p. 818 ſqq. edit. DVCHESNE. Hanc cl. BOVQVETVM omiſiſſe, merito miror. Licet enim nihil contineat, quod hiſtoriæ Francicæ adferat lucem, controuerſiam tamen Felicianam illuſtrat, ideoque in explicandis Caroli M. rebus geſtis ea vix carere poſſumus.

cum Mahomedanis didiciſſe ita humiliter ſentire de chriſto ſecundum humanam naturam, infelix Elipandus exiſtimatur: inducens fortaſſe in animum, ſi hoc euincere potuiſſet, coniungere ſimul Mahomedanos et chriſtianos in vnam fidem. Idem ſibi placere, haud obſcure ſignificauit Hiſpanorum ille Liuius, IOANNES MARIANA [d]); nec abſuit NICOLAVS ANTONIVS [e]); ſed erronea hæc eſt coniectura et tantummodo ad augenda aliorum in FELICEM odia excogitata. Recte eam reiecit IAC. BASNAGIVS [f]) atque adduxit argumenta exquiſita. Quæ quum iterum MADRISIVS [g]), qui defendit commentum illud, confutare ſibi ſumeret, turpiter ignorantiam doctrinæ Mahumedicæ prodidit. Quis, quæſo, tam amens ſit, vt noſtro æuo PETRI *Cluniacenſis* auctoritatem ſufficere, arbitretur, ad perſuadendum ſibi, Mahumedem a Sergio monacho factum eſſe chriſtianum Neſtorianum? Tam longo interuallo diſtat doctrina Moslemicorum de chriſto [h]) a Neſtoriana, ſi vel largiamur, huic deditum fuiſſe Felicem, vt non magis credendum ſit, accepiſſe Felicem, quæ doce-

d) *hiſtor. Hiſp. libr.* VII. *cap.* 8. p. 275.
e) *bibl. Hiſp. vet. Tom.* I. p. 328.
f) *loc. cit.* §. III. p. 287.
g) *dict. loc.* p. 228.
h) conf. IO. LVDOV. FREY *diſſert. qua Mohamedis ſententia de Ieſu expenditur*, Baſ. MDCCV; vt de aliis, qui Muhamedanorum dogmata explicarunt, ſileam.

docebat, a Mahumedanis, quam Americæ gentes barbaras a chriſtianis ſuas de malo genio nugas. Alios putare, noſtros a *miſſæ Mozarabicæ* auctoribus, quorum verba non ſatis intellexerint, fuiſſe deceptos, monet BASNAGIVS, neque id recte adfirmari poſſe. Nouam hanc in rem protulit coniecturam, quam miror, et BASNAGIVM, et MADRISIVM neglexiſſe, PETRVS DE MARCA [i]), qui ita ſcripſit: *error tamen, vt Alcuinus docet, initium ſumſit a presbyteris quibusdam, commorantibus apud Corduam.* Prouocat ad ALCVINVM [k]), cuius hoc eſt teſtimonium: *et vt video maxima perfidiæ huius origo de Cordua ciuitate proceſſit, ſicut in epiſtola illius Elipandi, ad Felicem præfatum directa, intelligi poteſt.* Ablegat ergo nos ad ELIPANDVM. Audiamus ergo eum, hæc pronuntiantem [l]): *ego vero direxi epiſtolam tuam ad Cordoba fratribus, qui de deo recte ſentiunt et mihi multa ſcripſerunt, quæ in tuo adiutorio debueram dirigere.* Ex his, niſi omnia me fallant, recte quidem colligitur, fuiſſe Cordubæ ELIPANDI ſectatores; at vero eos fuiſſe primos erroris magiſtros, quomodo inde queat probari, ego quidem non intelligo. Nec lubet diffiteri, mihi probabile videri, doctrinam de adoptione Chriſti a Bonoſianis in Hiſpaniam eſſe illatam atque ab eo tempore, clandeſtinis conſiliis conſeruatam:

i) de *marc. Hiſp. Libr.* III cap. 12 §. 1 p. 268.
k) p. 994 *oper.*
l) *epiſtol. ad Felic.* p. 997 *oper. Alcuini.*

tam: a FELICE denique emendatam magis eaque, quæ illi de chriſto deo dixerant, ad chriſtum hominem relata fuiſſe. Bonoſianos certe in Hiſpania ſuos errores propagaſſe, documento ſunt nobis libri, quos AVDENTIVM et IVSTINIANVM præſules Hiſpanos iis oppoſuiſſe, alibi m) dixi, errorem vero ad poſteros fuiſſe transmiſſum, THEODISCI exemplo diſcimus. His licet non doctrinam; nomen tamen adoptionis et verba ELIPANDVM et FELICEM debuiſſe, non eſt, cur dubitemus. At vero ſi paullo adcuratius menteque erectiore veram controuerſiæ cauſſam indagare velimus, illius principium intelligemus fuiſſe deprauatam mentis humanæ indolem et lubricam illam et effrenatam cupiditatem, res occultas et ſupra ingenii noſtri vires poſitas, inueſtigandi, inueniendi, explicandi. Quæ licet omnibus hominibus ſit communis; Hiſpanis tamen præcipua eſſe videtur, qui acutius philoſophandi et ſubtilius dicendi ſtudio, in quo maximam laudem ponunt, facillime ad vitium illud abripi ſe patiuntur. Egregie hanc in rem dixiſſe mihi videtur CAROLVS IMPERATOR n): *nolite plus ſapere quam oportet ſapere; ſed ſapere ad ſobrietatem; nec ratiocinando humano ingenio diuina vos inueſtigare arbitremini, ſed magis credendo*

m) *diſſ.* de *Bonoſo* § XV.

n) *epiſtol. ad Elipand. et ceteros epiſcopos Hiſpaniæ* § XII. p. 112 ed. AGVIRRII *tom.* III. *concil. Hiſp.*

do honorate, quæ humana fragilitas temere perſcrutando inuenire non valet. Hoc monito ſi ducti fuiſſent ELIPANDVS et FELIX, temperaſſent ſibi, quo minus ſpinoſam adtuliſſent quæſtionem atque in ciuitate chriſtiana tantas turbas excitaſſent.

V.

QVIS ex illis primus ſententiæ de chriſto filio dei adoptiuo auctor habendus ſit, inter ſe diſſentiunt viri docti; neque infitior, poſſe hac de re dubitari. PAVLLINVS enim *Aquileienſis* o) eodem tempore clarus, aperte ELIPANDVM *auctorem noxii ſceleris* dixit. Contra ea alia exſtant vetuſtatis exempla, quibus conficitur, FELICEM *Vrgelitanum* primum id ſibi in animum duxiſſe idemque perſuaſiſſe ELIPANDO. Quo ſpectant verba EGINHARDI p): *Orgellis eſt ciuitas, in Pyrenæi montis iugo ſita, cuius epiſcopus, nomine Felix, natione Hiſpanus, ab Elipando, Toleti epiſcopo, per litteras conſultus, quid de humanitate ſeruatoris, dei et domini Ieſu Chriſti ſentire deberet, vtrum ſecundum id, quod homo eſt proprius, an adoptiuus dei filius credendus eſſet, ac dicendus, valde incaute atque inconſiderate et contra antiquam eccleſiæ catholicæ doctrinam, adoptiuum non ſolum pronuntiauit, ſed etiam ſcriptis ad memoratum epiſcopum libris pertinaciſſime prauitatem opinionis ſuæ defendere curauit.* Idem liga-

o) *ſacroſyllab. præf.* p. 1 *oper.*
p) *annal. ann.* DCCXCII p. 210.

ligata oratione *poëta Saxo* q), qui Francorum annales ſcripſit, a REINECCIO, CHESNIO, LEIBNITZIO et BOVQVETO editos, ita expreſſit:

celſa Pyrenæi ſupra iuga condita montis
vrbs eſt Orgellis, præſul cui nomine Felix
præfuit. Hic hæreſin molitus condere prauam,
dogmata tradebat fidei contraria ſanctæ,
adfirmans, chriſtus dominus, quia corpore ſumto
eſt homo dignatus fieri, non proprius ex hoc;
ſed quod adoptiuus ſit filius omnipotentis:
reſponſumque Toletano dedit hoc Helipando
pontifici, de re tanta conſultus ab ipſo,
atque ſuum ſcriptis defendere dogma libellis
omni, quo potuit, ſtudio curauit et arte.

Addimus IONAM *Aurelianenſem*, ſcriptorem ſeculi noni, qui idem ſignificauit, quum hæc litteris mandaret r): *emerſit ex eadem Hiſpania tempore ſanctæ memoriæ Caroli, piiſſimi atque inuictiſſimi Auguſti, quidam Felix nomine, actu infelix Vrgelitanenſis ciuitatis epiſcopus, qui iuncto ſuo ſceleratiſſimo errori Elipando, Toletanæ vrbis epiſcopo, ſecundum humanitatem non eſſe proprium filium dei, ſed adoptiuum prædicare auſus eſt.* Hæc niſi ſufficere videantur, plura adderem ſcriptorum effata; at lubens me ab illis recitandis abſtineo, quum ipſe nihil auctori-

q) *libr. III. ann.* DCCXCII. p. 156 edit. BOVQVETI *tom.* V *ſcriptor rerum Franc.*

r) *libr.* I *de cultu imag. tom.* XIV *bibl. max. patr.* p. 168.

auctoritatis eis tribuere ſoleo, quia innumeris exemplis compertum habeo, chronicorum ſcriptores inferioris ætatis ex antiquiorum commentariis ita ſæpenumero transſcripſiſſe, vt ne verba quidem mutarent. Adnumerauit his clariſſimus MADRISIVS [s]) verba ipſius FELICIS [t]): *vt pro me miſero, per quem vsque nunc in eccleſia dei contentio verſa eſt*; ſed ſi vera fateri licet, ea non tam clara ſunt, vt tuto probari iis putem, quod probari debet. Quod ſi animo meo complector cunctaque ſedulo expendo, totá de primo controuerſiæ auctore quæſtio videtur mihi eſſe λογομαχικη. ELIPANDVM enim recte cum PAVLINO dixeris *auctorem noxii ſceleris*, quod dum conſuluit de argumento grauiſſimo FELICEM, huic primus obtulit occaſionem, de illo meditandi; quæ in vtramque partem diſputari poſſint, exquirendi et concipiendi ſententiam, quæ ipſi placebat, eamque fuſius declarandi; nec peccaueris, ſi FELICEM pro auctore controuerſiæ habere malis, quod primus definite opinionem de chriſto filio dei adoptiuo eſt amplexus ſuaque apud Elipandum auctoritate effecit, vt eidem animum ſuum addiceret [u]).

VI.

s) *diſſ. hiſt. de Felic. et Elip. hæreſi* §. XVIII.

t) *confeſſ. fid.* p. 246 edit. MADRISII.

u) Hæc quum ſcripta eſſent, opportune in manus incidit IOANNIS DE FERRERAS *hiſtoriæ Hiſpanicæ* doctum opus, in quo nouam, vidi, ab illo

produ-

VI.

PATET ergo, quænam fuerint controuerſiæ noſtræ origines. Aegre ferendum eſt, temporum iniuria ereptas nobis eſſe et litteras ELIPANDI et ad eas reſponſiones FELICIS. His enim, ſi vti nobis liceret, non dubito, multa nobis eſſe perſpecta, quæ obſcura nobis ſunt et tenebris circumfuſa. In his primum locum de tempore quæſtio tenet, quo iſta contigere. Qui Francorum hiſtoricos ſequuntur ac turbarum initia ad annum ſeculi octaui nonageſimum ſecundum referunt x), non aberrant ſolum a veritate, nec capiunt ſcriptorum ſententiam, ſed ignorant illorum conſuetudinem, res peregrinas eo demum anno commemorandi, quo in Gallia, aut Germania de iis agi cœpit. CAESAR BARONIVS y) ann. DCCLXXXIII primam contentionis iniecit mentionem: quod vero neglexiſſe videtur, officio probandi ſententiam, ſatisfecit ANTON. PAGIVS z) atque attu-

produci ſententiam. Credit enim, ELIPANDVM prius cum BEATO et ETHERIO diſputaſſe, quam rogauerit FELICIS ſententiam: hincque FELICEM ELIPANDI potius diſcipulum; quam magiſtrum exſtitiſſe, *tom.* II p. 517. edit. Gallicæ. Quamuis ei interpres, HERMILLIVS adſenſerit; pugnare tamen contra hanc coniecturam hiſtoricorum effata, quæ notaui, manifeſtum eſt.

x) ita iudicauit NATALIS ALEXANDER *hiſtor. eccleſ. tom.* V. p. 676.

y) *annal. eccleſ. ann.* DCCLXXXIII §. 6 *Tom.* XIII.

z) *critic. in annal. Baron. ann. memor.* §. 12.

attulit argumenta, quibus ante eum CAR. LE COINTE [a]) vſus eſt. Binæ exſtant ADRIANI pontificis Romani epiſtolæ [b]), ad Hegilam epiſcopum datæ. Altera ſcripta eſt ann. DCCLXXXII, qua nulla fit mentio FELICIANAE doctrinæ, licet alii in illa reprehendantur errores; altera vero, priore poſterior, qua FELICIS ſententiam reiicit, ideoque ann. DCCLXXXIII ſcripta. In eamdem diſceſſit ſententiam IAC. BASNAGIVS [c]), ſed recte eam corrigendam eſſe putauit IO. FRANCISCVS MADRISIVS [d]) ac monuit, minus probabile eſſe, eodem anno, quo ADRIANVS doctrinam reprehendit, illam ipſam a FELICE fuiſſe inuentam ac traditam. Conſequens ergo eſt, vt ante annum DCCLXXXIII ELIPANDVS et ſententiam FELICIS rogauerit; et tulerit eius reſponſum, licet annus adcurate nequeat definiri.

VII.

POSTQVAM ELIPANDVS adprobauit, quam FELIX ei ſignificauerat de adoptione chriſti ſententiam, non ſatis ei fuit, illam mente complecti; ſed aliis quoque tradendam et latius propagandam ſuſcepit. Teſtimonium hac de re perhibet IONAS *Aurelianenſis* [e]), qui

a) *annal. eccleſ. Franc. Tom.* V p. 227.
b) *epiſtol.* LXXXXVI et LXXXXVII *codicis Carolini* apud ANDR. DVCHESNE *hiſt. Franc. ſcript tom.* III p. 817.
c) *obſeru. hiſtor. circa Felic. hæreſin* §. 1 p. 284.
d) *loco cit.* §. VI ſqq. p. 212.
e) *loco cit.*

qui cum iis, quæ paulo ante recitauimus, verbis hæc coniunxit: *et hac virulenta doctrina vterque Hiſpaniam magna ex parte infecit. Deinde apoſtolorum chriſti actus imitari videri volentes, quum ipſi non apoſtoli chriſti, ſed præcones eſſent hoſtis antiqui, vnusquisque ſeparatim diuerſas prouincias eadem ſua inſana doctrina imbuendas, appetiuere: Eliphandus ſcilicet Aſturias et Gallicias, cuius diſcipulos me aliquando apud Aſtures vidiſſe, memini, quos et catholicorum virorum regionis illius, qui eorum veſanæ doctrinæ ſecundum ſanam doctrinam rationabiliter renitebantur, relatu perſpicuitatisque meæ probatu, ſecundum eorum habitum et actum; certiſſimos eſſe antichriſtos, liquido deprehendi;* nonnullis vero interpoſitis, hæc adiecit: *porro idem Felix, quum multis apud Septimaniam eumdem hauſtum peſtiferum propinauerit, eum tamen Galliæ Germaniæque, quantum in illo fuit, propinare voluit; ſed diuina gratia adminiculante, nullum apud Galliam Germaniamque error eius locum inuenire quiuit* f). Idem perhibent ETHERIVS et BEATVS g): *certe iam rumor eſt: iam fama eſt, et non ſolum per Aſturiam; ſed per totam Hiſpaniam et vſque ad Franciam diuulgatum eſt.*

f) huic IONAE effato innituntur, quæ notant PETR. DE MARCA de *marc. Hiſp.* p. 269 et monachi Benedictini in *hiſtoir. de Languedoc. tom.* I p. 448. Similia leguntur in *vita S. Beati* ſupra laudata §. VI p. 148.

g) *libr.* I *aduerſ. Elipand.* p. 301.

eſt. Quonam tempore noſtri in prædicanda, quam conceperant, noua doctrina elaborauerint, licet IONAE teſtimonio non ſatis clare poſſit intelligi; probabile tamen eſt, factum id eſſe, antequam ceteri cœtus chriſtiani doctores illis reſiſterent, id eſt, ſub primis controuerſiæ initiis. Nec defuerunt, qui vtrique ſe adiungerent. Inter hos et dignitate et exiſtimatione eminuit ASCARIVS, præſul Bracarienſis, quem *conſentaneum* fuiſſe cum Elipando, grauiter teſtatus eſt ADRIANVS, Romanus pontifex [h]). FIDELEM abbatem Aſturicenſem commendauit ipſe ELIPANDVS conſtantiamque, qua eius addictus fuit doctrinæ, ſummopere prædicauit [i]). Addunt his MAXIMVM et IOVIANVM, neſcio quos, *centuriarum Magdeburgenſium* ſcriptores [k]), certiores vero ſunt monachi Cordubenſes; quorum ſuperiori loco feci mentionem.

VIII.

NOVA, quam ELIPANDVS et FELIX publice profitebantur, ſententia non poterat non

h) *epiſt.* XLVII *cod. Carol.* p. 819. Huic repugnant litteræ ARCARICI; ſiue ASCARII ad ELIPANDVM, huiusque ad illum reſponſio, quas IVLIANVS *archipresbyter* collegit; HIGVERA vero LVITPRANDI *oper.* p. 573 ſubiecit; ſed vtrasque confictas eſſe, NIC. ANTONIVS *biblioth. Hiſpan. tom.* I p. 327 abunde comprobauit.

i) in *epiſtola* a BEATO et HETHERIO recitata, de qua fuſius poſtea dicemus.

k) *centur.* VIII p. 325.

non multis videri erronea, temeraria atque integritati purioris doctrinæ infeſta et periculoſa, qui ſuum eſſe putarunt contradicere illis, eosque animo forti et conſtanti confutare. Inter hos ADRIANVM pontificem Romanum primum locum obtinere oportet, ſi creditur doctis viris, quos epiſtolam, ab eo ad Hiſpanos ſcriptam, ad ann chriſtian. DCCLXXXIII referre diximus. His non libet refragari; ingenue fateri autem nos oportet, argumenta, quibus coniectura hæc comprobari ſolet, leuiora mihi videri. Qui enim ita cenſent, in ea ſunt opinione, epiſtolarum, quas CAROLVS *magnus* olim in vnum corpus collegit; GRETSERVS autem primus in lucem edidit publicam, talem ſeruatum fuiſſe ordinem, vt quo tempore quæuis ſcripta ſit, inde queat colligi. At hanc opinionem falſam eſſe, nemo negauerit, qui diligentius codicem hunc inſpexerit atque obſeruauerit, disiectas omnino ibi eſſe et diſperſas pontificum Romanorum epiſtolas, vt nemo prudens temporis rationes ita deprehendat ſeruatas. Id recte monuit MARTINVS BOVQVETVS [l]; nec

l) *præfat. tom.* V *ſcript. rer. Franc.* §. LX p. 23. adde de hoc codice ill. GOTTFR. LEONH. BAVDISIVM *not. in Murator. Hiſtor. Ital. tom.* IV p. 412 ſqq. Id vnum obſeruamus, *codicem* noſtrum *Carolinum*, ſeparatim prodiiſſe in lucem cura IAC. GRETSERI Ingolſt ann. MDCXIII translatum in ANDR. DVCHESNE *ſcript. rer. Francic. tom.* III p. 701. IAC. GRETSERI *oper. tom.* VI et BOVQVETI *laudatam collectionem tom.* V p. 485.

nec ſine cauſſa, quum epiſtolas illas denuo typis curaret deſcribendas, omiſſis iis, quæ ad Francorum res illuſtrandas non facerent, eas annis ſuis reſtituere, conatus eſt. Incertum ergo relinquere, ſatius eſt, quonam tempore compoſuerit ADRIANVS litteras illas, quas ad Hiſpaniæ præſules orthodoxos miſit iisque varia dogmata, quæ in Hiſpania tum tradi cœpere, tanquam contraria ſaniori doctrinæ, acrius reprehendit [m]). In eorum numero fuit ſententia ELIPANDI, de qua ita differit: *porro et de partibus veſtris peruenit ad nos lugubre capitulum, quod quidam epiſcopi, ibi degentes, videlicet Eliphandus et Aſcaricus cum aliis eorum conſentaneis, filium dei adoptiuum confiteri non erubeſcant, quod nullus e qualibet hæreſi antea talem blasphemiam auſus eſt obblaterare; niſi perfidus ille Neſtorius, qui purum hominem dei confeſſus eſt filium. Quapropter nullo modo eorum ſerpentinum venenum in qualibet parte veſtram ſubripiat; vel coinquinet dilectionem.* Admonet poſtea Hiſpanos, vt permanerent conſtanter in doctrina vera, a chriſti legatis tradita et a præſtantiſſimis cœtus chriſtiani doctoribus ſumma fide propagata. Quam vt explicaret recte ac comprobaret, attulit et

 ſcriptu-

m) *epiſt.* XCVII p. 818 ſqq. edit. DVCHESNE. Hanc cl. BOVQVETVM omiſiſſe, merito miror. Licet enim nihil contineat, quod hiſtoriæ Francicæ adferat lucem, controuerſiam tamen Felicianam illuſtrat, ideoque in explicandis Caroli M. rebus geſtis ea vix carere poſſumus.

ſcripturæ ſacræ effata, et patrum teſtimonia, partim de diuina chriſti natura prolata; partim contra Neſtorianos edicta, ſicque abunde prodidit, eum veram ELIPANDI ſententiam non ſatis intellexiſſe, qui nec deum eſſe chriſtum, negauit: neque aperte Neſtorianæ opinioni ſe deditum eſſe, ſignificauit. Addidit aliud argumentum, ELIPANDO oppoſitum, ex quo num ſatis adcurate ratiocinatus ſit, dubito. Conſtituit enim, adductisque patrum teſtimoniis, copioſe demonſtrat, adoptionem eſſe beneficium hominibus piis promiſſum et per ſalutarem aquam conferendum, atque inde putat effici, vt nullo modo in chriſtum cadat adoptio. Licet enim concedatur primum, quod neque ELIPANDVM vmquam eſſe inficiatum, legimus, conſequens tamen iure reprehenditur. Quis enim vniuerſe dixerit, nulla dona inter chriſtum hominem et fideles eſſe communia; licet eadem beneficia ex alio fonte ad hos, ex alio ad illum deduci, quisque confiteatur.

VIIII.

EADEM tempeſtate in Hiſpania contra ELIPANDI et FELICIS de chriſto, filio dei adoptiuo, doctrinam, fortiter pugnarunt BEATVS et ETHERIVS editisque ingenii monumentis haud exiguam collegerunt nominis ſui famam. Quæ de BEATO referri ſolent, cuncta repetuntur ex *vita S. Beati*, paullo ante memorata, quam a manu recentiori profectam

fectam eſſe, monuit IOANN. MABILLONIVS [n]). Hic multam in eo poſuit operam, vt Beatum noſtrum non ſolum ſolitarium vitæ genus ſectatum; ſed familiæ etiam Benedictinorum fuiſſe adſcriptum, contenderet ac confutaret IO. TAMAIVM [o]) et GOTTFR. HEVSCHENIVM [p]), quorum ille vtrumque, hic poſterius negauerat. Abbatis dignitate et titulo BEATVM fuiſſe ornatum, ALCVINVS [q]) teſtatur; nec pugnabimus contra eos, qui illum monachorum domicilio *Valliſcauæ* præfuiſſe cenſent. Qui vitam eius litteris conſignauit, tradidit magna autoritate eum valuiſſe apud Adoſindam, viduam Silonis regis [r]), adiecitque mortalitatem eum finiuiſſe d. II. Cal. mart. ann. DCCLXXXXVIII. In ſanctorum numero eum habent Hiſpani, præcipue Aſturicenſes, eumque lingua domeſtica S. *Bieco* adpellant. Præter opuſculum, quod contra ELIPANDVM ſcripſit, reliquit commentarios, *apocalypſin* illuſtrantes, laudatos præter MABILLONIVM ab AMBR. MORALES [s]). Non negligenda, putamus, eſſe crimina, quæ ELIPANDVS BEATO obiecit. Adpellat enim eum [t]): *carnis immunditia*

n) *act. ſanct. ord. Bened. tom.* IV *part.* I *adp.* p. 690 edit. Venet.

o) *martyrol Hiſp.* tom. III p. 587.

p) *tom.* III *febr. act. ſanct.* p. 146.

q) *libr.* I *contra Felic.* p. 789 *oper.*

r) §. VIII p. 698 ed. MABILLONII.

s) *hiſtor. Hiſp.*

t) *epiſt. ad Alcuin.* p. 911 *oper.* illius.

ditia fœtidum et ab altario dei extraneum. IAC. BASNAGIVM [u]) non ſine cauſſa monuit, quamuis hæc ab hoſte dicta ſint; nec tamen prorſus tanquam mendacia ſpernenda, maxime quum ALCVINVS nihil prorſus ad excuſandum eum attulerit. Aegre id tulit MADRISIVS [x]) Beatumque defendere ſtuduit. Quamuis vero lubens fatear, criminationibus hoſtis nihil tribuendum eſſe; tamen vix crediderim, ELIPANDVM tam temerarium atque audacem fuiſſe, vt BEATVM, ab *altario dei extraneum*, id eſt, a munere ſacerdotis disiectum fuiſſe, ad ALCVINVM ſcriberet, qui ſine vllo negotio, mendacia dici, potuiſſet cognoſcere. Satius certe eſt, iſta relinquere incerta et dubia. Poſt mortem *Beatum miraculis celebrem* fuiſſe, vitæ eius ſcriptor [y]) narrat; num vera narrauerit, valde dubito [z]). De ETHERIO; ſiue, vt alii ſcribunt, *Hetherio*,

u) *loco cit.* p. 290.

x) p. 228 *oper.* PAVLLINI. Omnino hoc loco conferenda ELIPANDI *epiſtola ad Carolum magnum*, quam ex *Hiſpania ſacra* deſcriptam, infra exhibebimus integram.

y) §. VIII p. 694.

z) de BEATO præter laudatum MABILLONIVM et BASNAGIVM, legas NIC. ANTONIVM *biblioth. Hiſpan. vet. tom.* I p. 324. ANT. PAGIVM *critic. in annal. Baron. ann.* DCCLXXXIII §. II *tom.* XIII. p. 161. GVIL. CAVEVM *hiſtor. litter. ſcriptor. eccleſ. tom.* I p. 640. IO. ALB. FABRICIVM *biblioth. Lat. med. et infim. ætat.* vol. I. p. 490. et REMIG. CEILLER *hiſtoir. des auteurs ſacr. et eccleſiaſtiques tom.* XVIII. p. 318.

therio, *Ætherio*, *Aitherio*, quem Beatus laborum ſibi adiunxerat ſocium, pauca nobis relicta ſunt. Fuiſſe eum præſulem ſacrorum Vxamenſium, his eius probatur verbis [a]: *primus ego Eterius, Oxomæ ſedis indignus nominatus epiſcopus.* Idem teſtatur ſcriptor *vitæ Beati*, ſæpius laudatus [b]: *adfuit quoque catholico oneri Ætherius, qui poſt fuit epiſcopus Vxamenſis.* Præter hæc, ELIPANDVS memoriæ prodidit [c]), noſtrum iſta tempeſtate, qua contra eum pugnare cœpit, fuiſſe iuuenem ac præceptores habuiſſe *Beatum* et FELICEM [d]). Verba eius hæc ſunt: *adoleſcentiam ſane fratris noſtri Eterii, lacte adhuc alitam et nondum ad robur perfectæ intelligentiæ perductam, veſtra fraternitas erudiat, quia non cum magiſtris optimis; ſed cum ignaris et ſchiſmaticis, videlicet Felice et Beato Antiphraſio*, id eſt, quaſi per ἀντίφρασιν ita dicto, *æquales in virtute et pares in errore, habuit collationem* [e]).

X. HOS

a) *libr.* I *adverſus Elipandum* p. 309.

b) §.III. p. 692.

c) *epiſtol.* ad *Fidel.* apud BEATVM et HETHERIVM *libr.* I *adu. Elip.* p. 310.

d) Felicem hunc oportet diſtingui ab Vrgelitano. Fuit is abbas Obonenſis; conf. MABILLONIVM *act. ſanct. ord. Bened. tom.* IV *part.* I p. 691 *et annal. ord.* S. *Benedict. tom.* II p. 273.

e) de ETHERIO conferas eosdem, quos de BEATO expoſuiſſe, dixit.

X.

HOS ergo oppoſuiſſe ſe ELIPANDO eiusque doctrinæ, comprobant ea luculenter, quæ paullo poſt a me dicentur. Neque omiſit, id ſedulo poſterorum memoriæ commendare *vitæ Beati* ſcriptor; ſed hoc de Beato ſuo litteris mandauit *f*): *hic quum Elipandi erroneam profeſſionem audiuit, protinus per totam illam regionem et catholicum ſeminare dogma, et hæreticam euellere zizaniam cœpit, quibus obſiſtens Helipando profectibus, paulatim eius propalari commenta, cognouit. Adfuit quoque catholico operi B. Aetherius, qui poſt fuit epiſcopus Vxamenſis et Beati amicitia fretus: vterque aduerſus Felicem et Helipandum litteris et ſermonibus per populos diſcurrentes, catholicam veritatem virili et ſancta caritate docebant. Iſtorum enim efficacia plurimi, qui Helipandi venenum ebiberant, vinum hæreticum eructantes, ad gremium matris eccleſiæ ſunt conſtitutionis pœna reuerſi.* Confirmantur hæc teſtimonio ALCVINI *g*), ita expreſſo: *quod vero quendam Beatum abbatem et diſcipulum eius Hitherium epiſcopum dictis huic veſtræ ſectæ primum contraire, laudamus eos in eo, quod veritatem defendere conati ſunt.* Quo maius vero fuit BEATI et ETHERII ſtudium, quod in arguendo grauiſſimi erroris ELIPANDO collocarunt, eo minus fieri potuit, vt rumor de hac re ad huius aures non perueniret. Quæ quum

f) §. III p. 692.

g) *libr.* I *contra Felic.* p. 789 *oper.*

quum cognouiſſet, indigne ea tulit iratusque BEATO et ETHERIO, litteras dedit ad Fidelem abbatem, quem cum partibus eius feciſſe, non dubitamus. Scriptas eas fuiſſe menſe octobri ann. Hiſpano DCCCXXIII, id eſt, ann. chriſtian. DCCLXXXV h), non ſolum ſignificant, quos modo nominaui, BEATVS et ETHERIVS i), ſed etiam easdem recitant k). Epiſtolæ huius quum ELIPANDVS hoc feciſſet initium: *qui non confeſſus fuerit Ieſum chriſtum adoptiuum humanitate et nequaquam adoptiuum diuinitate, et hæreticus eſt; et exterminetur. Auferte malum de terra veſtra. Non me interrogant, ſed docere quærunt: quia ſerui ſunt antichriſti. Hanc epiſtolam domini Aſcarici epiſcopi ita fraternitati tuæ direxi, kariſſime Fidelis, vt cognoſcas, quanta in chriſti ſeruis regnet humilitas; quanta in antichriſti diſcipulis regnet ſuperbia*, eadem animi ſuperbia, quam in BEATO reprehendit, contra hunc declamat. Indignum eſſe putat, ſe erroris adcuſari a BEATO: ſacrorum præſulem ab homine inferioris dignitatis: Toletanum epiſcopum a monacho Libanenſi: eoque maiorem ſibi per id inferri iniuriam, quo clariora integritatis ſuæ

h) ita bene contra BARONIVM, VASQVEZIVM et NATALEM ALEXANDRVM, qui male hanc epiſtolam ad ann. Chriſt. DCCLXXXIII referunt, ſtatuit cl. MADRISIVS *diſſ. hiſtor.* de *Felicis et Elipandi hæreſi* §. XIV. p. 214.

i) *libr.* I *aduerſ. Elipand.* p. 297 edit. BASNAGII.

k) *loc. cit.* p. 310.

ſuæ extent documenta, poſtquam in componenda Migentianorum controuerſia admirando ſtudio ſit verſatus. Honorifica illa, quæ ſupra deſcripſi, addit de ETHERIO verba: doctrinam BEATI hæreticam eſſe denuo declarat ac FIDELEM admonet, vt ad extirpandam *hæreſin Beatianam* omnem adhibeat diligentiam.

XI.

LITTERIS his ELIPANDVM adiéciſſe *fidei ſymbolum*, quo quid de ſingulis doctrinæ chriſtianæ capitibus ſentiret, breuiter expoſuit, nemo, quantum ſcio, monuit l). Exhibent vero, iidem BEATVS et ETHERIVS m)) huiusmodi formulam, ita inſcriptam: *incipit ſymbolum fidei Elipandinæ.* Hanc vero non ab ELIPANDO ipſo; ſed ab aduerſariis fuiſſe compoſitum, hæc ipſorum verba aperte ſignificant: *tunc lecta eſt ipſa epiſtola*, videlicet Elipandi, *et multum fidei noſtræ contraria, quæ nec in veteri teſtamento; nec in nouo erant ſcripta: quæ ipſa verba fidei ſuæ, nobis incognita, in*

l) antiquiori æuo et orthodoxos, et hæreticos edidiſſe ſymbola, inter omnes conſtat. Quam in rem legas ven. patrem *introd. in libros eccleſ. Luth. ſymbolic. proleg.* §. XI p. 32 ſqq. PETR. ZORNIVS in *opuſc. ſacr. Tom.* 1 p. 178 ſqq. multo ſtudio enumerauit hæreticorum ſymbola, id vero, quod ELIPANDI nomine contextum fuit, prætermiſit. Hoc exemplo nobis eſt, quanta opus ſit cautione, ne ſymbola confiсta pro veris habeamus.

m) *libr.* 1 *aduerſ. Elipand.* p. 309.

in vnum copulauimus et quo facilius adgnoſcerentur, more ſymboli breui compendio in pagina compegimus [n]). Hæc ſedulo velim notari, ne, ſi quis legerit inſcriptionem: *incipit ſymbolum fidei Elipandianæ*, germanum ELIPANDI, putet, exhiberi monumentum. Quare non ſolum improbamus, qua ETHERIVS et BEATVS vſi ſunt, ELIPANDI dogmata explicandi rationem, fallacem quippe et ad fallendos imprudentes homines comparatam; ſed etiam addimus illos ab omni fraudis et malitiæ ſuſpicione haud poſſe abſolui. Quodſi enim *epiſtola* ELIPANDI, ex qua ſe ſua profitentur, hauſiſſe, cum fabuloſa illa formula comparatur, multos ſine cauſſa ei adſcribi errores, quisque intelligit.

XII.

SED redire nos oportet, vnde digreſſi ſumus, ad litteras ELIPANDI. Has, ad Fidelem clam ſcriptas; ſed breui tempore in *cuncta Aſturia diuulgatas* fuiſſe, tradunt BEATVS et ETHERIVS [o]). Quod quum hi intellexiſſent, multa opera laborarunt, vt perueniret ad eorum manus. Suſceperunt iter ad Fidelem abbatem, de quo ita ſcribunt: *quum nos ad fratrem Fidelem, non litterarum illarum compulſio, ſed religioſæ dominæ Adoſindæ perduceret deuotio.* Verba hæc nonnihil eſſe obſcura, lubens fateor. Adoſindam, poſtquam maritus eius, Silo rex, ex hac vita diſceſ-

n) *loc. cit.*
o) *loc. cit.* p. 283.

diſceſſit, monaſticum amplexam eſſe vitæ genus, neque ignoro; neque infitior; ELIPANDVM vero ſtuduiſſe, eam ſibi adiungere, ac reginam omnia iudicio præſulum atque in his BEATI et ETHERII commiſiſſe, quod, niſi omnia me fallant, ex his verbis collegit IOANNES MARIANA p), valde dubito. Vtcumque ſit, BEATVS et ETHERIVS mandato Adoſindæ ad Fidelem acceſſerunt ac legerunt ann. Hiſpano DCCCXXIII. id eſt chriſtiano DCCLXXXV d. VI cal. dec. litteras ELIPANDI, menſe octobri ſcriptas. Quas ſequum ſibi cognoſcerent eſſe oppoſitas, eas ſedulo confutare, induxerunt animum. Compoſuerunt ergo *aduerſus Elipandum, archiepiſcopum Toletanum, libros duos de adoptione chriſti filii dei*, benigniore fortuna ad noſtram vsque ætatem conſeruatos, de quibus nonnihil dicere, noſtrum eſſe, iudicamus. Vtriusque nomen præ ſe fert opuſculum tam BEATI; quam ETHERII; nec dubitamus, vtrumque in eo conſcribendo coniunctam collocaſſe diligentiam; ſiquidem ſedulo, quum de ſe ipſi loquuntur, multitudinis numero vtantur. Vnicum excipi oportet locum, quo ETHERIVS ſymbolum fidei, in concilio Epheſino conſcriptum, ita recitauit, vt hoc eſſet orationis initium q): *primus ego Etherius*, cet. Totum opus hac formula: *eminentiſſimo, nobis et deo amabili Elipando, Toletanæ ſedis archiepiſco-*

p) *hiſtor. Hiſpan. libr.* VII *cap.* 8.
q) *libr.* I p. 309.

piſcopo, Etherius et Beatus in domino ſalutem r), eidem ELIPANDO, contra quem pugnam ſuſceperunt, inſcripſerunt ac conſecrarunt. Humani ergo quid paſſus eſt IOANNES MABILLONIVS s), quum BEATVM potius; quam ETHERIVM librorum ſcriptorem eſſe, cenſeret atque hæc adderet: *eos inſcribit eidem Etherio epiſcopo:* at quem conſortem, *ait*, perfruor ordinis, coheredem etiam faciam mei laboris. *Ordinis, inquam, monaſtici, non epiſcopalis: quum Beatus hac dignitate nunquam inſignitus fuerit.* Falſa certe hæc ſunt. Etenim ELIPANDO, non ETHERIO opus hoc fuiſſe dedicatum, non ſolum formula, quam deſcripſi, teſtatur; ſed etiam alia illius loca idem loquuntur. Initium operis ab his verbis ducitur: *legimus litteras prudentiæ tuæ*, id eſt, nos BEATVS et ETHERIVS, legimus litteras tuas ELIPANDE. Simili ratione ita exordiuntur *librum ſecundum* t): *ſcripſimus crimina tua, quibus nos hæreticos et ignaros fidei atque antichriſti diſcipulos pronuntiare non ceſſas;* item paucis interpoſitis, hæc dicunt: *ſed quia libelli tui, in quibus nos hæreticos eſſe fateris, iam per publicum in diuerſis terrarum vulgati ſunt partibus, vt omnes, qui eos legerint ſecundum fidem tuam, te catholicum Toletanæ ſedis*

r) p. 297.

s) *annal. ordin. Benedict. libr.* XXV §. 52 *tom.* II p. 279.

t) p. 345.

ſedis doctorem - - - prædicent. Hæccine ad ELIPANDVM, præſulem Toletanum; an ad ETHERIVM ſcripta ſunt? Nec, quæ adduxit MABILLONIVS, verba ad probandam eius ſententiam, valent. Teſtantur enim, ETHERIVM in ſocietatem conſcribendi opuſculi cum BEATO veniſſe; at hunc illi id conſecraſſe, inde colligi nequit. In duos libros commentarium ſuum noſtri diſtribuerunt, atque in vtroque ad id omnem contulere diligentiam, vt partim ELIPANDI ſententiam de chriſto filio dei adoptiuo erroneam eſſe, demonſtrarent; partim ſe ab obiecto crimine prauæ doctrinæ purgarent. At ſi vera fateri lubet, pauca dicunt, propoſito adcommodata. Nec ſatis adcurate; nec ſatis recte philoſophantur: ea quæ inuicem ſunt diuerſa, ſæpius coniungunt ac diuellunt, quæ cohærent: argumenta conquirunt, atque ex locis nimis longinquis repetunt: ſcripturæ ſacræ effata minus recte interpretantur: ſenſum eorum per explicationes ἀλληγορικὰς inepte peruertunt; neque orationis denique ſtudent elegantiæ, ſed grauiter nonnunquam contra grammaticorum leges peccant. At hæc neminem ita, cupio, accipere, vt me de laudibus, quæ illis debentur, detrahere velle, putet. Scio enim, vitia, quæ commemoraui, æui, non hominum culpæ eſſe tribuenda, hisque ideo ignoſcenda. Nihilominus nec placent, quæ de opere iſto iudicia tulere, CÆSAR BARONIVS,

NIVS [u]), IO. MARIANA [v]), GABR. VASQVETIVS [x]) aliique huius generis ſcriptores, quibus ſatis fuit, pugnaſſe BEATVM et ETHERIVM contra ELIPANDVM, quem ſine controuerſia hæreticis adnumerandum eſſe, cenſent omniaque, ſiue male, ſiue bene dicta, ad cœlum extollunt, quæ hæreticis fuere oppoſita. Opuſculum hoc diu ſatis in bibliotheca Toletana manu exaratum latuit, tenebris oppreſſum et blattis tineisque relictum, vsque dum ANDR. SCHOTTVS a MARIANA Hiſpano celeberrimo, impetrauit, vt exemplum eius deſcribendum et ad illum curaret perferendum. Tranſmiſit id SCHOTTVS IACOB. GRETSERO [y]), a quo accepit illud PETRVS STEVARTIVS ac litterarum formis expreſſum, in publicam lucem produxit [z]). Hunc ſequuti ſunt, qui *bibliothecas* patrum adornarunt, *Pariſienſes* [a]), *Colonienſes*

u) *annal. eccleſ. ann.* DCCLXXXIII §. 9 *tom.* XIII p. 162.

v) *loc. cit.*

x) *diſp.* LXXXIX in 3 *part. Thom. cap.* I. *tom.* III *oper.* p. 696.

y) hæc docet SCHOTTI *epiſtola ad Gretſerum* operi ipſi præmiſſa p. 285.

z) in *tomo ſingulari inſignium auctorum, tam Græcorum quam Latinorum*, quem STEVARTIVS Ingolſtad. ann. CIↃIↃCXVI edidit, primum locum obtinet libellus noſter.

a) *tom.* IV *part.* 2 *biblioth. patrum* Pariſ. edit. CIↃIↃCXLIII.

ſes *b*) et *Lugdunenſes* *c*). His denique ſe adiunxit IAC. BASNAGIVS *d*) atque opuſculum, breuibus cum STEVARTII, tum BASNAGII ipſius adnotationibus, illuſtratum, edidit. Adde NICOL. ANTONIVM *e*) et IOANN. ALB. FABRICIVM *f*).

XIII.

QVVM de controuerſia, quae ELIPANDO cum BEATO ETHERIOque interceſſit, plura ad noſtram memoriam non fuere transmiſſa, ad ea progredi libet, quae in concilio quopiam Narbonenſi de FELICE acta eſſe feruntur. At omnia haec inuenimus dubia, incerta, variis doctorum hominum opinionibus perturbata magis; quam illuſtrata, adeo, vt vel hoc arduum ſit, vnde orationis ducendum ſit initium, adcurate definire. Id quidem certum ſit, quaecumque de praeſulum conuentu, Narbonae ſub finem ſeculi octaui facto, ſciamus, accepiſſe nos ea ex *actis concilii* iſtius, quae GVIL. CATELLVS *g*) primus in lucem produxit publicam ac renouauit, communi virorum eruditorum obliuione oppreſſam, omnem concilii memoriam. Hunc ſequutus eſt

b) *tom.* VI *biblioth. colon. ann.* CIƆIƆCXVIII.
c) *tom.* XIII p. 353.
d) in *theſ. monim. tom.* II *part.* I p. 279 ſqq.
e) *biblioth. Hiſp. vet. tom* I p. 324.
f) *biblioth. Latin. med.* et *inf. aetat. vol.* I p. 490 et *vol.* II p. 346 ſq.
g) in *memoir. de l'hiſtoire de Languedoc* p. 743.

eſt STEPHANVS BALVZIVS [h]) eademque acta edidit, a ſcribendi vitiis, quae admiſerat CATELLVS, purgata; nec fieri potuit, quin PHIL. LABBEVS [i]) illa denuo litterarum formis curaret exprimenda. Acceſſit CAROL. LE COINTE [k]), atque illas tabulas diligentius recenſuit; quae parum recte ei viſa ſunt ſcripta, notauit et obſeruationibus elegantiſſimis omnia explicauit. Recentiore aetate CLAVDIVS DE VIC et IOSEPH. VAISSETTE [l]), ac Pariſienſes familiae Benedictinae ſodales [m]) eadem acta multa cura deſcripſerunt. Quae ex illis ad propoſitum noſtrum argumentum ſpectant, binae eorum ſunt partes. Altera abſoluitur primis illius verbis, ita conceptis [n]): *anno incarnationis dominicae* DCCLXXXVIII *indictione* XII *glorioſiſſimo quoque domino imperatore Karolo regnante ann.* XXIII. V *Kal. Iul. Dum pro multis et variis eccleſiaſticis negotiis, praeſertim pro Felicis, Vrge-*

h) *not. in* PETR DE MARCA *concord. ſacerd. et imper. libr.* VI *cap.* 25 p. 923 ſqq. edit. BOEHMERI. Pauca ſunt, quae idem BALVZIVS de hoc concilio notauit in *marc. Hiſpan. libr.* IV p. 343.

i) *concil. tom.* VII p. 963.

k) *annal. eccleſ. Francor. ann.* DCCLXXXI. §. XII *Tom.* VI, p. 464.

l) *in preuves de l' hiſtoire de Languedoc, tom.* I eiusdem *hiſtoriae* ſubiunctis p. 26 ſq.

m) in *inſtrumentis eccleſ. Narbonenſis* additis *tom.* VI *Galliae chriſtianae* p. 2 ſq.

n) placet ſequi exemplum, *hiſtoriae Occitaniae* adiectum.

Vrgelitanæ ſedis epiſcopi, peſtifero dogmate, monente per ſuæ auctoritatis litteras domno apoſtolico, Adriano, ac domno imperatore per miſſum ſuum, nomine Deſiderium, conueniſſemus, vrbem Narbonam, intra Baſilicam SS. Iuſti et Paſtoris, cet. altera eſt ſubſcribendi formula, quam loco tertio et decimo ipſe FELIX adſcripſit: *Felix epiſcopus Vrgellitanæ ſedis ſuſcripſi.* Præter hæc, ne verbum quidem de FELICE noſtro factum eſt. Contra ea omnia referuntur ad controuerſias nonnullas componendas, quæ de finibus diœceſis Narbonenſis erant commotæ, a noſtro argumento tanto interuallo disiunctas, vt iure noſtro ab illis enarrandis abſtineamus. At vero de eo nobis diſpiciendum eſt, num credi poſſit his actis hincque num verum ſit, de FELICIS ſententia fuiſſe in hoc concilio diſceptatum ſtatutumque. Hac de re non eadem ſentiunt viri docti. Quas de illa protulerunt, opinionum triplex eſt genus. *Prima* eſt omnium, qui ſapiunt rerumque geſtarum non expertes ſunt, communis ſententia, temporum notas in actis expreſſas eſſe falſas atque erroneas. Coniungitur enim annus chriſtianus DCCLXXXVIII tam cum anno indictionis XII, quam cum anno Caroli M. XXIII. Vtrumque abhorret a veritate. Annus enim Caroli XXIII idem eſt atque annus chriſtianus DCCLXXXXI; ſiquidem is Francis cœpit imperare, anno DCCLXVIII, quo Pipi-

nus

nus ex hac vita diſceſſit [o]): indictionis vero annus, qui menſi Iulio ann. DCCLXXXVIII conueniat, non eſt XII ſed XI. Hæc, quæ ſibi contradicunt, coniungere ſtuduit STEPH. BALVZIVS [p]); at vanam eſſe atque inanem, quam ſuſceperat, operam, ipſe confeſſus eſt. At vero quanam in re ſit peccatum, non ſatis liquet. Sapientiores atque artis diplomaticæ periti, faciunt cum CAROLO LE COINTE [q]), qui et *chriſtianum* et *indictionis* annos a recentiore manu adſcriptos fuiſſe, putauit hincque concilium noſtrum ad ann. IↃCCLXXXX referendum eſſe cenſuit. Adſenſi ei ſunt: CL. FLEVRY [r]), CLAVD. DE VIC et IOS. DE VAISETTE [s]), et monachi Benedictini Pariſienſes [t]). *Secunda* ſententia eſt eorum, qui non ſolum temporis notas deprauatas eſſe, putant; ſed de fide etiam tabularum vniuerſa dubitant. Plura enim in illis reprehendunt ac grauiora vitia, quam chronologica. Offendit eos *primum imperatoris* nomen, Carolo tributum, ante ann. IↃCCC, quo Romæ nomen illud conſequutus eſt. *Deinde* credunt, falſo dici, de Felice fuiſſe diſputatum, ſiqui-

o) illuſtrantur hæc docta diſputatione de computo annorum Caroli, quam IO. HEVMANNVS *commentar. de re diplom. tom.* I *cap.* 2 §. 65 p. 126 inſtituit.

p) *not. in Marc. loc. cit.* p. 925.

q) *loc. cit.*

r) *hiſtoir. eccleſ. tom.* IX p. 585.

s) *hiſtoir. de Languedoc Tom.* I p. 448.

t) *Gall. chriſtian. tom.* VI p. 15.

ſiquidem in actis de eius dogmate nihil relatum. Opponunt ad hæc confirmanda, hiſtoricos conſentientes, Felicem ante concilium Francofurtenſe non niſi bis Ratisbonæ et Romæ, fuiſſe condemnatum: quo efficiatur, vt idem Narbonæ non euenerit. *Denique* ſubſcriptionis formulæ illis diſplicent, quia nonnulli occurrunt epiſcopi, poteſtati Narbonenſi minime ſubiecti. Ita ſtatuit ANTON. PAGIVS[u], et IAC. LONGVEVAL[v]). Vt rectius capiatur hæc ſententia, a qua me ipſum parum abeſſe, non diffiteor, PAGII verba liceat mihi recitare: *quia Baluzius, in vetuſtiſſimis membranis exercitatiſſimus, adſerit, ſe illud deſcripſiſſe ex MS. quod aut ætati Caroli ſupereſt; aut non multum remotum, tria decreta, quæ in eo habentur, videntur legitima, ſed ſubſcriptio duorum archiepiſcoporum et epiſcoporum XXV, notæ temporariæ ac Felicis Vrgelitani mentio defendi non poſſunt.* *Tertia* denique claſſis eos complectitur, qui contra hos tabulas defendunt ac tantum non ab omni vitio liberas eſſe cupiunt. Poſt BALVZIVM, IAC. BASNAGIVS[x]) et IO. FRANCISC. MADRISIVS[y]) chronologicos errores imputandos eſſe, putant, notariis; nec dubitant, quantum ego qui-

u) *critic. in annal. Baron. ann.* DCCLXXXVIII §. 11 *Tom.* XIII p 233.

v) *in hiſtoir. de l'egliſe Gallicane Tom.* V. p. 5 et 62.

x) *theſ. monim. eccleſ. Tom.* II *part.* 1 p. 291.

y) *diſſ. hiſtor. de Felicis et Elipandi hæreſi* §. XXIV ſqq. p. 215.

quidem credo, concil. ann. ſeculi octaui LXXXVIII recte adſcribi. At hæc reſponſio ad tollendam dubitationem non ſufficit. Multo minus cum MADRISIO dicendum, annos CAROLI numerandi initium duci ab anno eiusdem ſeculi LXIII vel LXIIII, quo Pipinus viuus regnum in comitiis Vormatienſibus inter filios ſuos diſtribuit. *Primum* enim probari oportet, in diplomatibus hanc æram occurri; *deinde*, ſi ita eſſe concedatur, annus LXXXVIII idem foret; ac annus Caroli XXIV vel XXV, non XXIII, quem definiunt tabulæ. *Imperatoris* nomen Carolo tributum, præclare defendit BALVZIVS; neque hac in re ei repugnare libet [z]). Ad cetera argumenta obiecit nonnulla MADRISIVS, quæ ita fieri potuiſſe, monſtrant; ſed non probant, ita factum eſſe. Nec res, de qua diſputatur, ita eſt comparata, vt ſatis nobis eſſe poſſit, eam potuiſſe fieri. Vtcumque ſit, conſultius eſt rem dubiam relinquere atque incertam. Præter ea, quæ obſeruauimus, id vnum addere liceat, turpiter lapſum fuiſſe LABBEVM, qui pontificis Romani legatum concilio interfuiſſe ſcripſit, reprehenſus iure ſuo a BALVZIO. Nibilominus GVIL. CAVEVS [a]) ſibi haud temperauit, quo minus eodem errore ſe capi pateretur; rectiori vero ſententiæ ſubſcripſit

z) *imperatoris* nomine CAROLVM aliosque vſos eſſe ante coronationem Romanam, docet laudatus HEVMANNVS *loco cit.* p. 28.

a) *hiſtor. litter. ſcript. eccleſ. tom.* I p. 651.

IO. ANDREAS SCHMIDIVS [b]). *Deſiderium* enim, qui præſens fuit, non Adriani, ſed Caroli miſſum fuiſſe, tabulæ iſtæ aperte teſtantur, eiusdemque nomen alia æui illius monimenta ſeruant [c]).

XIII.

CERTIORA his ſunt, quæ de concilio Ratisbonenſi, ann. IↃCCLXXXII habito, poſteritati fuere mandata. Si quis recordatus fuerit, Vrgelitanam vrbem, cuius ſacra FELIX gubernabat, eo tempore Francis paruiſſe, atque expenderit, quanto ſtudio Carolus magnus paci ac tranquillitati chriſtianæ ciuitatis proſpexerit, is certe non mirabitur, maximum illum Francorum regem ad componendas controuerſias, quarum auctores exſtiterunt ELIPANDVS et FELIX, curas ſuas contuliſſe. Quum is anno, paullo ante notato, Ratisbonæ commoraretur, coegit ſacrorum præſules et aduocauit Felicem, vt de dogmate eius ferretur iudicium. Omnia, quæ de rebus, ibi geſtis, ſcimus, Francorum hiſtoricis ferimus accepta. Audiamus ergo, quæ reliquerunt eorum teſtimonia. Scriptor *annalium*, qui a IOANNE TILIO nomen acceperunt [d]), breuiter ait: ann. DCCXCIII *natale*

b) *introd. Sagittar.* in *hiſtor. eccleſ. tom.* II p. 1211.

c) conf. IOANN. DE FERRERAS *hiſtoir. d'Eſpagne tom.* II p. 524.

d) apud BOVQVETVM *rer. Gallicar. et Francicar. ſcriptor. tom.* V p. 22. Idem vir doctus p. 18 nota-

le domini et Paſcha ibidem, ſcilicet Ratisbonæ, *celebrata: hæreſis Feliciana ibi condemnata eſt*: *Loiſelianorum* e) auctor ad ann. DCCXCII hæc habet: *hæreſis Feliciana primitus audita et in Raganesburg primo condemnata eſt. Poeta Saxo* eidem anno adſcripſit hæc verba f) de Felice:

atque ſuum ſcriptis defendere dogma libellis,
omni, quo potuit, ſtudio curauit et arte.
Hinc ad catholici deductus principis aulam,
idem Regino nam tum hiemauit in vrbe
a multis ibi præſulibus ſynodoque frequenti
eſt auditus et errorem docuiſſe nefandum,
conuictus.

His copioſius rem expoſuit, qui EGINHARDI nomine exornari ſolet, *annalium* ſcriptor. Poſtquam enim, quæ de origine controuerſiæ *Felicianæ* recitauimus, notato ann. DCCXCII enarraſſet, hæc ſubiecit ff): *huius rei cauſſa ductus ad palatium regis, qui tunc*

notauit, in *annalibus* his ſcribæ vitio, omnia vno anno tardius fuiſſe conſignata. Hinc recte ea, quæ recitauimus, ad ann. DCCXCII referuntur.

e) apud BOVQVETVM *loc. cit.* p. 48 hæc verba ex *Loiſelianis*, more ſuo, deſcripſit auctor annalium *Bertinianorum* apud LVD. ANT. MVRATORIVM *ſcriptor. rer. Ital. tom.* II *part.* I p. 491.

f) vid. BOVQETVM *loc. cit.* p. 156.

ff) conf. laudatum BOVQVETVM p. 210; locum hunc deſcripſit auctor *chronici Sandionyſiani*, quod lingua Gallorum antiqua exaratum ill. BOVQVETVS primus in lucem publicam protraxit, *loc. cit.* p. 244.

tunc apud Reginum, Boioariæ ciuitatem, in qua et hiemauerat, reſidebat. Vbi congregato epiſcoporum concilio, auditus eſt et erraſſe conuictus. Addimus effatum ADONIS *Viennenſis* g) *anno incarnat. domini* IↃCCXCII. *Felix Vrgelitanus epiſcopus hæreticus deprehenſus, adoptiuum, non proprium dei filium, dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, dogmatizans.* Qui licet ſileat de Ratisbonenſi ſynodo; nihilominus eum de illa loquutum eſſe res ipſa declarat, ſi cum ceteris contenditur. Apertius rem expreſſit *Fuldenſium* h) annalium ſcriptor eidemque anno hæc adſcripſit: *hæreſis Feliciana, ipſo auctore eam abnegante, apud* Reganesburg *primum damnata eſt.* Similia prodidit *Metenſis* i): *Feliciana hæreſis apud Reganesburg condemnata eſt.* HERMANNVS denique *contractus* k) itidem ad annum IↃCCXCII *ſynodo*, inquit, *Ratisbonæ collecta, hæreſis Feliciana damnata eſt.* Hæc hiſtorici narrant; nec refragantur ceteri, quos ætas illa tulit, ſcriptores clariſſimi; ſed idem confirmant. Ex quorum numero princeps eſt ALCVINVS l), cuius hæc ſunt verba: *antequam ego, eodem ſapientiſſimo rege, Carolo, iubente, veniſſem in Franciam, hæc eadem veſtri erroris ſecta, eodem glorioſo principe præſiden-*

g) vid. BOVQVETVM *tom.* VI p. 320.
h) *ibidem* p. 330.
i) *ibidem* p. 347.
k) *ibidem* p. 364.
l) *libr.* I *aduerſus Elipandum* p. 939 *oper.* edit. DVCHESNII.

ſidente, præſente Felice, quem multum laudare ſoles, ventilata eſt in celeberrimo loco, qui dicitur Raiginis-Burg, et ſynodali auctoritate ſacerdotum chriſti, qui ex diuerſis chriſtiani imperii partibus conuenerant, æterno anathemate damnata. Neque omitti, fas eſt, luculentum PAVLLINI *Aquileienſis* m) teſtimonium: Ait enim de Felice: *oblitus præterea fœderis iuriſiurandi, quod cum deo pepigerat, candidis millium angelorum circumfuſis cateruis. Sed neque humanæ, vt puto, militiæ huic ſpectaculo defuit multitudo. Præſertim quum in conſpectu venerandi principis ventilaretur huiuscemodi controuerſia quæſtionis. Nam tactis ſacroſanctis euangeliis, iureiurando proteſtatus eſt, quemadmodum tunc temporis ſinceriſſimæ fidei exigente cenſura, ſuppreſſo ſilentio obmutuit garrulitas diſputationis: nullius vnquam deinceps, nullo quolibet titulo quidquam refragatiuo molimine reuoluere quæſtionis; ſed in ea, cui conſenſerat, fidei regula ſpopondit, ſe perpetua immobilitate manſurum. In hoc quippe gymnaſticæ diſputationis conflictu contigit etiam humillimæ noſtræ paruitatis perſonaliter præſentiam adfuiſſe.* Hæc de Ratisbonenſi conuentu exponenda eſſe, præclare MADRISIVS n) docet, coniectura vſus maxime probabili. PAVLLINVS certe loquitur de conſeſſu præſulum, cui interfuerint CAROLVS, PAVLLINVS et FELIX. Quum

m) *libr.* I *contra Felicem cap.* 5 p. 102 *oper. edit.* MADRISII.

n) *diſſ.* ſæpius laudata, §. XXXIII. p. 216.

Quum hæc ſcriberet, ter condemnatus fuit Felix, Ratisbonæ, Romæ et Francofurti: quod ex iis patet, quæ poſtea a nobis dicentur. Romæ non adfuit PAVLLINVS; nec CAROLVS. Francofurti vero FELIX non fuit præſens. Conſequens eſt, vt hæc pronuntiauerit PAVLLINVS de Ratisbonenſi ſynodo, cui interfuere CAROLVS, FELIX, et PAVLLINVS o). Extremo denique loco IONAE *Aurelianenſis* p) adferre libet effatum, quod SEVERIN. *Binius* q) de noſtro congreſſu intellexit. Ille vero de Carolo hæc ſcripſit: *eiusdem namque principis iuſſu in vnum coacti, adhibita etiam ſanctæ Romanæ eccleſiæ autoritate, eumdem Felicem damnauerunt.* Contradixit BINIO MADRISIVS r); nec ſine cauſſa ſuſpicatus eſt, hæc de Francofurtenſi potius concilio, quam de Ratisbonenſi eſſe capienda. Vt ita ſentiret ſe, profitetur, commotum eſſe IONAE verbis, quæ antecedunt: *quia iam ſecundum apoſtolicum præceptum ter, vt ab eadem ſua prædicatione deſiſterent, admoniti fuerant;* ſed nequeo infitiari, in

o) de præſentia PAVLLINI in concilio Ratisbonenſi lege FRANCISC. BERN. MAR. de RVBEIS *monim. eccleſ. Aquil. cap.* XLI §.3 et MADRISIVM in *vita Paullini*, *operibus* eius præmiſſa *cap.* VI §. 1.

p) de *cultu imag. libr.* 1 p. 368 *tom.* XIIII *biblioth. max. patr.* Lugdun.

q) *not. in concil. tom.* III *part.* 1 p. 411.

r) *diſſ.* commemorata §. XXX.

in exemplo libelli, quo ego vtor, vocem *ter* haud legi, in qua omnis probandi vis eſt poſita. Nihilominus lubens ſubſcribo viri docti ſententiæ, quia probabilius eſt, loqui IONAM de conuentu Francofurtenſi, magis illuſtri magisque celebrato; quam de Ratisbonenſi. Hæc, quæ recitaui, hiſtoricorum aliorumque, fide dignorum, teſtimonia ſufficere videntur ad cognoſcendas res Felicis, Ratisbonæ geſtas. Ea enim, ſi coniunctim expendimus atque inter ſe comparamus, ex iis intelligimus I) accidiſſe illa omnia Ratisbonæ anno a partu virginis IƆCCXCII, II) præſentem fuiſſe Carolum magnum: III) eumdem conuocaſſe ſacrorum miniſtros ex variis regnis, quæ imperio fuere ſubiecta: IIII) atque in his etiam Italos, ſaltim PAVLLINVM *Aquileienſem*: V) adcerſitum FELICEM, vt cauſſam diceret, prauæ doctrinæ adcuſatus: VI) eum fuiſſe *auditum*, accepta quippe poteſtate, dogmatis, quod amplexus erat, exponendi rationes atque argumenta: VII) ac erroris *conuictum*, adductis fortaſſe argumentis, ad conuellendam eius de adoptione filii dei ſententiam adcommodatis: VIII) eidem denique opinioni miſiſſe nuntium ac ſolemni iuriſiurandi formula, tactis quippe euangeliorum libris, de illa deſerenda feciſſe promiſſa. Pauca his addo. Eodem tempore, quo de controuerſia Feliciana inter viros ſacri ordinis agebatur, Ratisbonæ celebrata ſunt comitia. Abunde id probant veteres: ex recentioribus nota-

notauit illuſtriſſimus HENRIC. BVNAVIVS[s]). Quonam menſe Ratisbonæ ſynodus fuerit habita, colligere poſſumus ex clauſula diplomatis, a CAROLO iſto tempore Paullino conceſſi et a IO. FRANCISCO PALLADIO[t]) ac IOANN. FRANCISC. MADRISIO[u]) iuris facti publici, ita expreſſa: *acta pridie nonas Auguſti anno* XXIV *et* XIX *regni noſtri. Actum Regomesburg, Palatio publico, in dei nomine feliciter, amen.* Recte enim ſtatuitur, impetraſſe PAVLLINVM has tabulas, quum præſens eſſet Ratisbonæ. Denique moneo, vt adcurate obſeruentur verba ALCVINI, factum eſſe conuentum *præſidente* Carolo. Probant enim, quod aliis quoque exemplis conſtat, Carolum vſum eſſe ſuo iure poteſtateque, viros ſacri ordinis conuocandi. Legantur præter laudatos viros, CAESAR BARONIVS[v]), IAC. SIRMONDVS[x]), CAR. LE

s) in *der deutſch. Kaiſer- und Reichshiſtor. tom.* II p. 474. *Annales Petauiani* apud BOVQVETVM p. 26: *hoc anno rex Karolus cum ſuis fidelibus reſedit in Bauarios et habuit magnum placitum in Rainesburgo ciuitate.*

t) in *iſtor. della prouincia del Friuli* part. I p. 84.

u) in *adp.* II *oper.* PAVLLINI p. 258. adde IO. DOMINIC. MANSIVM *not. in Baron. annal tom.* XIII p. 252. Simile diploma exſtat in LVD ANT. MVRATORII *ſcript. rer. Ital. tom.* II *part.* 2 p. 442.

v) *annal. ecclef. ann.* IƆCCXCII §. 1 ſqq. *tom.* XIII p. 251 ſqq.

x) *concil. Gall. tom.* II p. 160.

LE COINTE [y]), PHIL. LABBEVS [z]), IOANN. FORBESIVS [a]), IAC. BASNAGIVS [b]), ANTON. PAGIVS [c]), IO. HARDVINVS [d]), monachi Benedictini [e]) et IAC. LONGVEVAL [f]).

XV.

RATISBONA eodem anno Felicem Romam miſſum fuiſſe nactumque Angilbertum itineris comitem atque ibi ſolemni formula coram Adriano, pontifice maximo, ſe a priſtino errore reuocaſſe, luculentis veterum ſcriptorum teſtimoniis habemus cognitum et exploratum, quae recitanda ſunt, vt fidem noſtris verbis faciamus. *Loiſelianorum* annalium auctor de Felice ait [g]): *quem Angilbertus ad praeſentiam Adriani apoſtolici adduxit et confeſſione facta, tum haereſin iterum abdicauit. Annaliſta ſaxo* [h]):

poſthaec Adriano mittitur almo,
ſedis apoſtolicae fuit hoc qui tempore praeſul.

Quo

y) *annal. eccleſ. Francor. tom.* VI p. 476 ſqq.
z) *concil. tom.* VII p. 1010 ſqq.
a) *inſtruct theol libr.* VI *cap.* 1 §. 4.
b) *theſ monim. eccleſ. tom* II *part.* 1 p. 297.
c) *critic. in annal. Baronii loc. cit.*
d) *concil. tom* VI p. 863.
e) *hiſtoir. litter. de Franc. tom.* IV p. 429.
f) *hiſtoir. de l'egliſe Gallic. tom.* V p. 10. adde PETR. DE MARCA *marc. Hiſpan. libr.* II *cap.* 12 §. 1 p. 269.
g) p. 48 edit. BOVQVETI.
h) p. 156.

Quo præſente; Petri correctus in æde beati,
pontificum coram ſacro celebrique ſenatu
damnauit Felix prius infeliciter a ſe
ortam perfidiæ ſectam meruitque reuerti
ad propriæ rurſus retinendum ſedis honorem.

Eadem tradit EGINHARDVS [i]; ſiue is potius, qui huius nomen mentitus eſt: *ad præſentiam Adriani pontificis Romam miſſus: ubi etiam coram ipſo in baſilica beati Petri apoſtoli hæreſin confeſſus eſt* [k], *atque abdicauit. Quo facto, ad ciuitatem ſuam reuerſus eſt. Sandionyſianus* [l] breuius: *a Roume l'enuoia li rois a l'apoſtocle Adrien, qui dampna lui et ſa fauſſe doctrine et puis le renvoiia a ſa cite.* ADO [m]: *qui ad præſentiam Adriani pontificis romani deductus, hæreſin verbo ſolummodo abdicauit. Fuldenſis* [n]: *qui etiam per Engilbertum abbatem in præſentia Adriani apoſtolici adductus denuo eam, confeſſione facta, damnauit. Metenſis* [o]: *quem Felicem Engilbertus in præſentiam Adriani papæ adduxit, et poſt confeſſionem hæreſin abdicauit.* Cum his omnino coniungenda eſſe cenſemus, verba LEONIS III Romanorum ſacrorum antiſtitis, qui eadem vixit

i) p. 210.

k) in codice, qui in poſſeſſione cardinalis de Armaniaco fuit, cuiusque lectiones CHESNIVS *tom.* II *ſcript. rer. Francic.* adiecit, legitur: *hæreſim ſuam damnauit.*

l) p. 244.

m) p. 320.

n) p. 330.

o) p. 347.

xit ætate, et niſi omnia me fallant, eodem tempore cum Felice in vrbe adfuit, in concilio, Romae ann. DCCLXXXXIIII celebrato, prolata p): *ſub ſanctæ recordationis prædeceſſore noſtro, domno Adriano papa, directus a domno Carolo, præfulgido magno rege, ipſe miſerrimus hæreticus, infelix epiſcopus, doctus ab eodem almo præſule fecit illum orthodoxum in vinculis libellum, anathematizans et confirmans inter cetera, nequaquam filium dei adoptiuum eſſe, ſicut dixerat; ſed proprium et verum dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium dei confiteor. Vnde et ipſe orthodoxum ſuum libellum ſupra ſacroſancta dei myſteria in noſtro patriarchio ponens, iurauit, ſic tenere et confiteri. Et iterum in confeſſione ſuper corpus beati Petri apoſtoli ipſum ponens orthodoxum ſuum libellum, ſimiliter et illic iurauit, nequaquam ſe dicere audere adoptiuum; ſed proprium et dilectum filium dei teneo et confiteor. Et poſtmodum transgreſſus legem dei, fugiens apud Paganos conſentaneos peiuratus effectus eſt.* Denique et ALCVINVS de hac re loqui videtur, quum teſtimonio, quod de Ratisbonenſi conuentu eum reliquiſſe, dixi, hæc ſubiecit q): *immo et a beatæ memoriæ Adriano papa, qui tunc temporis S. Romanæ eccleſiæ apoſtolica auctoritate rexerat ſedem, funditus exterminata.* Hæc ſi inter ſe coniuncta expendimus, res illas ita geſtas eſſe intelligimus. Felicem Romam miſit Carolus.

p) conf. PHIL. LABBEI *concil. Tom.* VII p. 1149.
q) p. 939 *oper.*

rolus. Quam ob cauſſam id ceperit conſilium, iure quæritur. Haud alienum a veritate eſſe mihi videtur, ſi dixeris, Felicem, licet Ratisbonæ errorem ſe deſeruiſſe, declaraſſet; nihilominus haud conſtantem fuiſſe, ideoque noluiſſe eum Carolum in Hiſpaniam dimittere; ſed iuſſiſſe eum Romam proficiſci, vt Adrianus eum ad mutandam ſententiam commoueret. Ne iter fingeret, aut fuga ſibi conſuleret, nactus eſt comitem Angilbertum, virum maxima apud Carolum valentem auctoritate [r]). Quum Romam veniſſet, coniectus eſt in vincula; nec fieri poteſt, quin credam, factum eſſe id, quum priſtinum errorem denuo eſſet amplexus. At libertatis cupiditate facile adductus fuit, vt ſe alia ſentire, ſimularet ac ſolemni formula ipſe, quæ antea docuerat, reiiceret. Romani ex ſententia animi omnia eum

r) de Angilberto fuſius diſceptare ſolent, qui de Romano Felicis itinere exponunt, atque in eo potiſſimum diligentiam ſuam collocant, vt diiudicent, num a *Fuldenſi* hiſtorico recte dicatur *abbas*, quod paullo ſerius ad hanc dignitatem peruenit. At quum nimis longo interuallo hæc diſputatio a propoſito meo ſit aliena, viſum fuit, lectores, qui plura de Angilberto ſcire cupiunt, ablegare ad IOANN. BOLLANDVM in *act. ſanct. febr. tom.* III p. 58. IOANN. MABILLONIVM *act. ſanctor. ord. Bened. ſec.* IV *part.* I p. 91 ſqq. *et annal. ord Benedict. tom.* II p. 266. 300 ſqq. ſcriptores *hiſtor. litter. Gall. tom.* IV p. 414 et *Galliæ chriſtianæ tom.* X p. 1243 alioſque, laudatos ab illuſtriſſimo BVNAVIO *loc. cit tom* II p. 500 et IO. ALB. FABRICIO in *biblioth. latin. mediæ et infim. ætat. tom.* I p. 266.

eum agere, ſibi perſuaſerunt ac reſtitutum in libertatem, Vrgellas repetere, permiſerunt.

XVI.

PRIVSQVAM ad alia progrediamur, de epiſtola nonnihil dicendi, neceſſitas eſt, quam eodem anno ELIPANDVS ad FELICEM dedit [s]). Illius nonnullas liceat deſcribere partes, quæ lucem adferent iis, quæ poſtea notabimus. Initium eius hoc eſt: *domino Felice ſciente* [t]) *vos reddo, quia exeunte Iulio veſtro ſcripto* [u]) *accepi et exeunte Auguſto vobis item ſcripſi, ſed eueniente occaſione ad iſto præſente* [v]) *igne conſumtum eſt et rediens ad me pene ad quadraginta dies denuo adſumſi laborem et ſcripſi ad ipſo hæretico piceo Albino* [x]), *quantum notus pro ſua confuſione ſcribere. Tu vero exempla* [y]) *et ſic illud dirige. Modo tamen egreſſus eſt, de Mele Iulio* [z]) *Kalendarum Nouembrium*

s) exſtat inter *opera* ALCVINI p. 995 et PAVLLINI *Aquileienſis* p. 245. Quum multa ibi leguntur tam vitioſe ſcripta, vt ne ſenſum quidem adſequi vbiuis nobis liceat, viſum fuit, breuiter adſcribere veram lectionem, quantum diuinare eam poſſum. Nonnulla vitia ELIPANDO; alia autem librariis videntur eſſe tribuenda.

t) *domine Felix, ſcientes.*

u) *veſtrum ſcriptum*

v) *ad iſtud præſente*

x) *ipſum hæreticum piceum Albinum*

y) *exempla*, ſine dubio idem ſignificat ac *exemplum deſcribe.*

z) Hæc verba dubito vnquam ſanari poſſe. *Mele* pro *Meſe*, ſiue *menſe* ſcriptum eſſe, quisque videt.

uembrium direxi vobis ſcriptum paruum de fratre Militane, qui recta de deo ſentit. Nam et quatuor mihi quaterniones direxerat, quos direxerat contra ipſo pſeudopropheta fœdiſſimo beato [a]). *Certifica me, qui es poſitus in Roma Epiſto[la]n veſtram, cœlitus quemadmodum mihi inlapſam, exeunte Iulio accepi et deo meo vlnis extenſis immenſas gratias egi*, cetera. Hæc excipiunt conuitia et maledicta in ALCVINVM, quæ noſtra non refert, heic repeti: Ex iis notaſſe ſufficit, Elipandum ſcripſiſſe contra Albinum ac quæ litteris conſignauerat, miſiſſe ad Beatum. Habemus ſane ſummam dolendi cauſſam, ELIPANDVM tam negligentem fuiſſe, vt nullam anni adſcriberet notam, quo litteras has exarauit, cuius notitia vix poſſumus carere. Quare non miramur, viros doctos, qui recentiore ætate has litteras legerunt in definiendo anno tam diuerſa ſentire. ANTONIVS PAGIVS [b]) et IAC. BASNAGIVS [c]) putant, ſcriptas eſſe ELIPANDI litteras ann. IↃCCXCIX. Argumenta, quibus, vt ita crederent, adducti fuerunt, neuter eorum adfert. Melius rem egit MADRISIVS [d]), atque adcurate monſtrauit, verba rectius ad ann.

det. At quis egreſſus eſt? Fortaſſe liber contra ALCVINVM.

a) *contra ipſum fœtidiſſimum pſeudoprophetam, Beatum.*

b) *critic. in annal. Baron.* IↃCCXLIX §. 16.

c) *loc. cit.* p. 295.

d) *diſſ. de hæreſ. Felic.* §. LXVIII ſqq.

ann. IↃCCLXXXXII referri, quo Felix in vrbe fuit, ac confutauit nonnullas rationes, quæ ei refragari videantur, tam leuiſſimas certe, vt pigeat de illis copioſe diſſerere. At vero, ſi vera fateri lubet, ipſe quidem malim dubiam rem relinquere. PAGII coniectura certe diſplicet partim, quod eo anno FELIX Romæ non fuit, partim quod et menſium notæ repugnant, quibus lucem adferent ea, quæ de Aquisgranenſi et Romana ſynodis, ann. ſeculi octaui LXXXXVIIII factis dicentur. Tamen nec MADRISII ſententia omni caret difficultate. Etenim eo tempore ALCVINVM contra Elipandum dimicaſſe, dubitandi ſubeſt cauſſa. Vtcumque ſit, neque litterarum harum auctoritas ad confirmandam ſuſpicionem ſufficit, in quam idem MADRISIVS[e]) Felicem noſtrum vocat, quod Romæ errores ſuos ſimulate condemnauerit. Rem ita eſſe, non nego, at argumento huic vllam ineſſe probandi vim non perſpicio. Etenim FELIX litteras ſuas, ad quas reſpondet ELIPANDVS ac confitetur, ſe eas accepiſſe ſub finem menſis Iulii, non potuit non dare ante Ratisbonenſe: multo magis ante Romanum concilium.

XVII.

CERTIORA ſunt, quæ de ALCVINO, ſiue quod malunt alii, ALBINO hoc loco dicenda ſunt. Quum inter eos, qui et ſcriptis et aliis ſtudiis FELICI atque ELIPANDO ſeſe obiecerant, haud infimum locum ob-

e) *loc. cit.* §. XXXVI.

tinuit, non poteſt fieri, quin pauca adferam, vt, quæ poſtea dicentur, rectius queant intelligi. Eum quidem gente fuiſſe Anglum ac ſumma doctrinæ omnis laude floruiſſe atque a Carolo M. inſignibus ornatum beneficiis, nemo ignorat. Alia ſunt, quæ luce egent. Ea, quæ ALCVINVS cum de Ratisbonenſibus; tum de Romanis geſtis rebus litteris mandauit, membratim ac ſuo quæque loco dedimus. Hæc, teſtatur, contigiſſe, antequam *eodem ſapientiſſimo rege Carolo iubente, veniſſet in Galliam* [f]). Diuerſis temporibus in Franciam; ſiue potius ad Carolum M. acceſſit: inde abiit ac reuerſus eſt. Quum Carolus anno DCCLXXXII in Italia commoraretur [g]), Alcuinum, qui Romam ex Anglia ſe contulerat, in amicorum, ac ne quid veri non dicere audeamus, præceptorum ſocietatem adſciuit. At nonnullis controuerſiis inter Carolum et Offam, qui Merciæ, Brittanniæ prouinciæ, tunc rex erat, ortis, ille ALCVINVM ann. DCCLXXXX in Brittanniam miſit, vt ad illas componendas ac pacem reſtituendam ſtudia ſua conferret [h]). Itinere confecto, denuo in Franciam is rediit, nec dubitare licet, de hoc reditu verba, quæ recitauimus, eſſe capienda, hincque ALCVINVM vel ſub finem anni LXXXXIII ad Carolum reuerſum eſſe. Ita recte

f) *libr.* I *adu. Elipand.* p. 339 *oper.*

g) conf. ex multis vnum MABILLONIVM *annal. ord. Benedict. tom.* II p. 250.

h) vid. MABILLONIVM *loc. cit.* p. 298.

recte cenſent: IO. MABILLONIVS [i]), CAR. LE COINTE [k]), ANT. PAGIVS [l]), aliique. Carolum quidem putant, aduocaſſe Alcuinum eo conſilio, vt ad confutandos Felicis errores diligentiam ſuam conferret: at falli eos, inſigne docet eiusdem ALCVINI effatum [m]): *diuina, vt credo, iubente diſpenſatione ad glorioſum et omni honore nominandum huius regni principem et regem Carolum, vocatus adueni, ſicut mihi quidam ſanctiſſimus vir prophetæque ſpiritu præditus, dei eſſe voluntatem, in mea prædixerat patria: etiam et vt vir venerabilis totusque deo deditus mihi mandatum dederat magiſter, vt ſi alicubi nouas audirem oriri ſectas et apoſtolicis contrarias doctrinis, mox totum me in catholicæ defenſione fidei dediſſem.* His enim non ſignificauit, ſe a Carolo ex Anglia ad pugnam, contra Felicem et Elipandum ineundam fuiſſe euocatum; ſed diuinæ hoc voluntatis eſſe documentum, vt veniret eo tempore in Franciam, quo eius conſiliis ac ſtudiis opus fuit ad confutandos illos errores. Non negligenda videntur, quæ ALCVINVS de vaticinio cuiusdam de itinere eius Francico; ac de admonitionibus ſui magiſtri commemorat. Illud quidem declaratur a ſcriptore *vitæ*

i) *loc. cit.* p. 304.

k) *annal. eccleſ. Fran.* p. 496.

l) *critic. in annal. Baron. ann.* DCCLXXXXIII. §. VII.

m) *præfat. libr. aduerſ. Elipand.* p. 927.

Alcuini [n]), qui hæc habet: *quum iam beatum Elibertum, patrem ſuum, infirmitate prænuntiata, celerius ad Chriſtum tranſire, noſſet Alcuinus, qui cuncta, ſicut ſupra dictum eſt, cum eius faciebat conſilio, ſtuduit illum diligenter ſciſcitari, quid, poſtquam ſola ſepararentur morte, ipſum vellet iuberetque agere. Cui, vt iam claret, domini dedit reſponſum; Romam, volo, venias indeque reuertens, viſites Franciam. Noui enim multum te ibi facere fructum. Eritque chriſtus dux tui itineris perducens et gubernans te illuc aduenam, ſis vt expugnator nefandiſſimæ hæreſis, hominem chriſtum, quæ conabitur, adoptiuum ſtruere, et fidei ſanctæ trinitatis firmiſſimus defenſor clariſſimusque prædicator.* Quid de hac Eliberti vaticinatione ſtatuendum ſit, facile intelligitur. Equidem haud dubito, verba, quæ is protuliſſe fertur, non ab ipſo eſſe profecta; ſed efficta a commentarii huius auctore, vt augeretur rerum admirandarum numerus. Prædixiſſe eum de ſtudio ALCVINI contra erroneas opiniones dimicandi, infitiari nolo; potuerunt vero hæc prædici, licet is nullo προφητειας ſpiritu ageretur. Neque aliud quidquam teſtatur ALCVINVS, cuius verba, quæ recitauimus, ſine dubio, commenta hæc excogitandi præbuerunt

n) præmiſſæ *oper.* ALCVINI a CHESNIO; editæ poſtea a IO. HENSCHENIO *act. ſanctor. tom.* IV *maii* p. 333 et IO. MABILLONIO *act. ſanct. ord. Bened. ſec.* IV *Tom.* I p. 141. Locus noſter exſtat *cap.* XI p. 145.

buerunt occaſionem. At vero eum nomine de ſententia Feliciana ac doctrina adoptianorum edidiſſe vaticinia, non poſſum animo meo perſuadere. At hæc ὡς ἐν παρόδῳ. Ceteroquin hunc Elibertum; ſiue potius Aelbertum, Alcuini noſtri fuiſſe magiſtrum, ex eadem vita colligitur. Addere iam libet aliud ALCVINI teſtimonium, quo ſe a CAROLO ex Anglia fuiſſe euocatum, prædixit o). *Inter quos*, inquit, *me etiam infimum eiusdem ſanctæ ſapientiæ vernaculum, de vltimis Brittanniæ finibus adſciſcere curaſtis atque vtinam tam vtilem in domo dei ſeruulum; quam promtulum veſtræ obedire voluntati.* Quod ſupereſt, recte monuit clariſſimus MADRISIVS p), Albinum antea cognouiſſe, qui a FELICE et ELIPANDO excitati erant, tumultus, quam ad Carolum rediret. De ALBINO hactenus q).

XVIII.

Bene ac ſapienter monuit illuſtriſſimus comes, HENRICVS BVNAVIVS r), nec Ratisbo-

o) *epiſtol.* XXIII. p. 1522 *oper.*

p) *loc. cit.* p. 217.

q) de Alcuino qui plura ſcire cupit, conſulat GOTTFR. HENSCHENIVM *act. ſanct. tom.* IV mai. p. 333 ſqq. MABILLONIVM in *elogio Alcuini, ſec.* IV *actor. ſanctor. ordinis Benedict. part.* I p. 162. IAC. BASNAGIVM *theſ. monim. eccleſ. tom.* II *part.* I p. 351 monachos Benedictinos in *hiſtoir. litterair. de la France tom.* IV p. 295 et REMIG. CEILLER in *hiſtoir. des auteurs eccleſ. tom.* XVIII p. 277, vt de aliis iam ſileam.

r) in *der teutſch. Kaiſer- und Reichs- hiſtor. tom.* II p. 418.

tisbonæ; nec Romæ, qui FELICEM ad meliorem de chriſto ſententiam reuocare ſibi ſumſerunt, legitima vſos eſſe ratione erroresque iuſtis et ad propoſitum idoneis argumentis confutaſſe. Certum enim eſt, conſilia iſta omnia exſpectato caruiſſe euentu, atque id vnum effeciſſe, vt, quas mente conceperat, falſas habere opiniones, ficte ac ſimulate declararet. Vera ſunt, quæ ADO *Viennenſis* s) ſcripſit: *hæreſin verbo ſolummodo abdicauit.* Rediit enim, poſtquam priſtinam libertatem recuperaſſet, ad priſtinum errorem, quem nunquam ex animo deſeruerat. Colligimus id ex iis, quæ inter FELICEM atque ELIPANDVM illo tempore fuere acta. Quæ vt rectius cognoſcantur, recitare, liceat, nonnulla ALCVINI effata, vnica harum rerum monimenta. Primum hoc eſt t): *ſcripſi epiſtolam pridem Felici epiſcopo caritatis calamo, fraternæ ſalutis deſiderio, non mordacis reprehenſionis ſtilo, cupiens eum corrigere in chriſti dilectione, quem in cuiusdam nominis nouitate de chriſto ac catholicæ pacis vnitate recedere, notum habetur. Sed, vt adgnoſco, non eo caritatis officio, vel humilitatis obſequio meæ litterulas diligentiæ recepit, quo me ſcribere, qui meam pietatis intuitu legerit epiſtolam, adgnoſcere poterit. Nam idem præfatus Felix mox libellum, non epiſtolari breuitate ſuccinctum; ſed ſermonum ſerie prolixum nobis dirigere ſtatuit.* His ſimilia ſunt,

s) *chronic.* p. 320 edit. BOVQVETI.
t) *libr.* I *contra Felicem* p. 779 ſqq.

ſunt, quæ idem ALCVINVS, quum rerum et Ratisbonæ et Romæ geſtarum feciſſet mentionem, ad ELIPANDVM ita ſcripſit [u]): *donec idem Felix infeliciter ad veſtras refugiens partes ſopitos infidelitatis cineres vobis exhortantibus, reſuſcitare intendit. Cui ego, in has adueniens partes, caritatis calamo epiſtolam exhortatoriam, vt ſe catholicæ iungeret vnitati, dirigere curaui. Cui ille non epiſtolari breuitate; ſed libelli prolixitate reſpondere niſus eſt atque in eo omnes perfidiæ veſtræ foueas maxime adperuit, adſerens, chriſtum et veterem hominem eſſe nuncupatiuum deum et adoptiuum filium et ſecunda indiguiſſe regeneratione, et alia plurima eccleſiaſticæ doctrinæ inconuenientia.* Nec dubitamus, de eadem re ALCVINVM hæc protuliſſe [x]): *de libello vero infelicis, non magiſtri; ſed ſubuerſoris placet mihi valde, quod veſtra ſanctiſſima voluntas et deuotio curam habet reſpondendi ad defenſionem fidei catholicæ; ſed obſecro, ſi placeat veſtræ pietati, ut exemplarium illius libelli domno dirigatur apoſtolico: aliud quoque Paullino patriarchæ: ſimiliter Richbono* [y]) *et*

u) *libr.* I *aduerſus Elipandum* p. 939.

x) *epiſtol* IV *ad Carolum* p. 1474 *oper.*

y) Nullum eſt dubium, vitioſe ita ſcriptum eſſe nomen RICHBODI, qui Caroli magni ætate ſacra Treuirenſium gubernauit et magna eruditionis laude floruit. Pauca ſunt, quæ de illo memoriæ mandata, ſuperſunt. Collegerunt ea: IO. MABILLONIVS *annal. ord. Benedict. tom.* II p. 235 ſqq. et vir illuſtris, IO. NICOL. DE HONT-

HEIM

et Teudulfo [z]), *epiſcopis doctoribus et magiſtris, vt ſingulis pro ſe reſpondeant. Flaccus vero tuus tecum laborat in reddenda ratione catholicæ fidei. Tantum detur ei ſpatium, vt quiete et diligenter liceat ei pueris* [a]) *ſuis conſiderare patrum ſenſus, quid vnusquisque diceret de ſententiis,*

HEIM *hiſtor. Treuirenſ. tom.* I p. 98. 136 ſqq et 155. Carolum conſiliis ALCVINI obtemperaſſe ac RICHBODVM in ſocietatem confutandi libelli Feliciani vocaſſe huncque, data opera, contra Felicem ſcripſiſſe, nulla relicta ſunt teſtimonia. Viri docti, qui *hiſtoriam Galliæ litterariam* compoſuere, *tom.* IV p. 329 ſqq. in ea ſunt opinione, *epiſtolarum* ALCVINI, quas MABILLONIVS in *analect.* 396 edit. nou. primus in lucem protraxit, *decimam nonam* ita eſſe interpretandam, vt ad RICHBODVM ſcripta eſſe cenſeatur. Coniectura hæc vbi adprobatur, expeditum eſt, RICHBODVM exaraſſe opuſculum, Adoptianorum doctrinæ oppoſitum, et ab ALCVINO multis exornatum laudibus.

z) THEODVLFVM, præſulem Aurelianenſem, æui Carolingici monimenta ac varia, quæ nobis ſeruata ſunt, illius ſcripta ſatis commendant. De eo legas MABILLONIVM *loc. cit. tom.* II p. 151. 208. 244. 250 ſqq. IAC. BASNAGIVM *theſ. monimenț. eccleſ. tom.* II *part.* 2 p. 61 ſqq. GVIL. CAVEVM *hiſtor. litter. ſcriptor. eccleſ. tom.* I p. 642. CHRISTIAN. SCHOETTGENIVM in *vol.* VI *biblioth. latin. med. et infim. ætatis Fabricianæ* p. 649 *hiſtoir. litterair. de la France tom.* IV p. 459 et REMIG. CEILLER *loc. cit.* p. 439. Hunc ad conuellendum FELICEM de ſuo quid contuliſſe, incertum eſt ac dubium.

a) *pueris* lege: *cum pueris*, quos ALCVINVS in ſchola Palatina docebat.

tiis, quas poſuit præfatus ſubuerſor in ſuo libello. Et tempore præfinito a vobis, ferantur veſtræ auctoritati ſingulorum reſponſa. Ex qua hæc deſcripta ſunt, epiſtola prior fuit tempore alia, cuius partem, quæ adprime ad hunc locum ſpectat, nefas eſt, a me omitti [b]): *nuper venit mihi libellus, a Felice infelici directus, cuius, propter curioſitatem, quum paucas paginolas legendo percucurri, inueni peiores hæreſes; vel magis blasphemias; quam antea in eius ſcriptis legerem. Adſerens chriſtum nec filium dei eſſe verum; nec etiam verum deum eſſe; ſed nuncupatiuum. Non, intendens, quid prædicator egregius de diuinitate chriſti ait: quorum patres, ex quibus chriſtus, qui eſt ſuper omnia deus benedictus in ſecula. Et ſpero plura ibi inuenire poſſe, quæ fidei catholicæ aduerſari videantur. Si nihil aliud videatur contra fidem catholicam, hoc ſolum ſibi ſufficit ad perditionem ſuæ. Væ mundo ab ſcandalis. Ecce qui adoratur ab angelis in cælis, negatur in terris ab hominibus verus eſſe deus. Huius vero libri, vel magis erroris reſponſio multa diligentia et plurimis adiutoribus eſt conſideranda. Ego ſolus non ſufficio ad refutationem. Præuideat vero tua ſancta pietas huic operi tam arduo et neceſſario adiutores idoneos, quatenus hæc impia hæreſis omnimodis exſtinguatur.* Porro cum quæ ſedulo contendantur, digna ſunt hæc ALCVINI eiusdem verba [c]): *quod multis*

b) *epiſt.* VIII p. 1494.

c) deſcripta ex *epiſtola ad abbates et monachos Gothiæ*

multis teſtimoniis euangelicis; vel apoſtolicis; vel etiam ſanctorum patrum traditionibus comprobari poteſt; ſicut in libello ex parte factum eſt, quem direximus ter beatum Benedictum vobis ad ſolatium et confirmationem fidei catholicæ. Sed in manibus maius modo habemus opus propter alias cauſas, quas in libello venerandi Felicis legimus, et illum volente deo, vobis dirigimus, poſtquam lectus fuerit et comprobatus ab epiſcopis noſtris et domno rege. Ex his omnibus ALCVINI effatis ſatis patere arbitror: I) FELICEM, poſtquam Roma diſceſſiſſet, denuo cœpiſſe, de adoptione chriſti ſententiam, quam antea fouerat, tradere ac propagare: II) ALCVINVM dediſſe ad eum litteras iisque eſſe adhortatum, vt abiiceret iſta conſilia ac rectiorem doctrinam complecteretur: III) ſimul has litteras opera BENEDICTI *Anianenſis*, ab aliis Hiſpaniæ præſulibus curaſſe legendas: IIII) FELICEM ad illas reſpondiſſe; at ita reſpondiſſe; vt multo ſtudio ſuas opiniones explicaret adductisque veterum ciuitatis chriſtianæ doctorum teſtimoniis confirmaret: V) ALCVINVM iſto FELICIS libello fuiſſe ad id commotum, vt vberiores, quos FELICI oppoſuit, commentarios conſcriberet, de quibus iuſto loco age-

thiæ, edita a STEPH. BALVTIO *miſcellan. libr.* I p. 478. De his litteris poſtea dicendi erit locus. Alibi quoque de BENEDICTO, quem laudat ALCVINVS, nonnulla adferentur. Sufficit hoc loco notaſſe, ſignificari *Benedictum Anianenſem.*

agemus: VI) certum denique eſt, et litteras ALCVINI et libellum FELICIS temporum iniuria fuiſſe deperditos atque amiſſos. Vtriusque iacturam eo magis dolendi, prae nobis ferimus cauſſam, quo magis ad veritatem accedit, multa ſimul nobis eſſe erepta, quae controuerſiae Felicianae illuſtrandae inſeruiant. Supereſt, vt diſquiratur: quonam tempore omnia iſta vſu venerint. IOANNES quidem MABILLONIVS[d]) haud dubitanter iſta retulit ad ann. IↃCCXCVII. Rectius CAROLVS LE COINTE[e]) definiuit ann. IↃCCXCIII. Temporum notae, quas iuſto concludendi modo ex teſtimoniis ALCVINI putamus eſſe conſtituendas, rem manifeſto confirmant. Acciderunt enim ea, primum breui tempore poſt reditum ALCVINI in Franciam: deinde antequam et ALCVINVS maius opus contra Felicem exararet: denique antequam PAVLLINVS *Aquileienſis* eodem labore fungeretur. Haec ſuadent certe, contigiſſe ea ante concilium Francofurtenſe, id eſt, ante ann. IↃCCXCIIII. Adde ANDR. DVCHESNE[f]), monachos Benedictinos Pariſienſes[g]), et IO. FRANC. MADRISIVM[h]).

XVIIII.

d) *annal. eccleſ. ord. Bened. tom.* II p. 326.
e) *annal. eccleſ. Franc. tom.* VI p. 494.
f) *praefat. oper. Alcuin.* §. IX.
g) *hiſtoir. litter. de la Fr. tom.* IV p. 429 ſqq.
h) *diſſ. hiſtor. de Felic.* p. 218.

XVIIII.

Anno ſeculi octaui nonageſimo quarto Carolus magnus Francofurti ad Mœnum ſacrorum præſulum coëgit conuentum, omni tempore inter illuſtriſſimas res, ab eo geſtas, relatum. In eo non ſolum de lite Feliciana; ſed maxime de controuerſia, inter Græcos et Latinos nimia certe animorum contentione de cultu imaginum agitata, fuiſſe diſceptatum, neminem, puto, ignorare. Quare nimis longum foret ſingula enarrare, quæ Francofurti fuere acta. Ne iuſto longius igitur noſtra excurrat oratio; neque omittatur, quod ad hunc locum pertineat; vt vero omnia adcurate cognoſcantur, ac variæ huius rei partes, multis quæſtionibus et recentiorum ſcriptorum opinionibus inter ſe diuerſis nonnihil perturbatæ, diſtincte ac vere perſpiciantur, conſultum videtur, hunc a nobis teneri commentandi ordinem, vt *primum* recitentur hiſtoricorum, quorum fides et auctoritas certa eſt, teſtimonia: *deinde* cetera, quæ benigniori fato nobis conſeruata ſunt, concilii monimenta enumerentur et ſtrictim exponantur: *denique* quæ ex his documentis recte concludantur; quæ vera aut falſa: certa aut dubia ſint, ſine partium ſtudio definite explicentur ac proferantur nonnullæ quæſtiones, quæ ad illuſtrandas omnes hiſtoriæ partes faciunt. Hac enim ratione ſperamus, fore, vt deuitemus errores, quibus nonnulli ſe capi paſſi ſunt.

XX.

Primo ergo loco, audiamus hiſtoricos atque in his primo loco *Tilianum* i): *ann.* DCCXCIII *natale domini et paſcha ibidem celebrata: hæreſis Feliciana ibi condemnata eſt.* Scriptor *annalium Francorum*, qui *Loiſeliani* dici ſolent, hæc notauit k) ann. DCCXCIV: *paſcha celebratum eſt in Francofurt, ibique congregata eſt ſynodus magna epiſcoporum Galliarum, Germanorum, Italorum, in præſentia iam fati principis et miſſorum domni apoſtolici Adriani, quorum nomina hæc ſunt: Theofilactus et Stephanus, epiſcopi. Ibi tertio condemnata eſt hæreſis Feliciana. Quam damnationem per auctoritatem ſanctorum patrum in libro conſcripſerunt, quem librum omnes ſacerdotes manibus propriis ſubſcripſerunt.* In annalibus *Lambecianis* l) anno DCCXCIII adſcripta hæc ſunt: *per idem tempus ſynodus congregatur ad Francofurt*; iis vero in *chronico Hildeſienſi* m), quod alioquin ex *Lambecianis* deſcriptum eſſe videtur, addita verba: *propter Felicem*; quæ negligentius in illis omiſſa eſſe, coniicimus. Quæ hac de re in *chronico cœnobii Moiſſiacenſis* n) habentur, ſatis luculenta ſunt; at quum codi-

i) apud MARTIN. BOVQVETVM *ſcriptor. rer. Franc. tom.* V p. 127, cuius editiones ceterorum hiſtoricorum ſequemur.

k) p. 49.

l) p. 65.

m) edito a GOTTFR. LEIBNITIO *ſcriptor. rer. Brunſuic. tom.* I p. 713.

n) p. 74 edit. Bouqueti.

codices, manu exarati, inter ſe diſcrepant, exhibebimus ea quæ dedit BOVQVETVS; ſubſcribemus vero lectiones diuerſas codicis *cæſarei* [o]) et regii Pariſienſis. Vtrasque adcurate notauit idem, quem modo laudaui, vir doctiſſimus. Præterea *Colbertino* antea vſus eſt ad ſanandum noſtrum locum STEPH. BALVZIVS [p]); ſed a *Bouquetiano* exemplo nihil differt. Is autem ita expreſſus eſt: *anno* DCCXCIV *rex Karolus apud villam Franconefurt celebrauit paſcha. Sed in æſtiuo tempore, anno* XXVI *ſui principatus, congregauit vniuerſalem ſynodum cum miſſis domni apoſtolici Adriani papæ; ſeu patriarcha Aquileienſi, archiepiſcopo et Petro, Mediolanenſi epiſcopo, et coepiſcopis; ſeu etiam presbyteris, diaconibus cum deuoto populo* [q]). *Quibus reſidentibus apud chriſtianiſſimum principem, Karolum, peruenit ad aures eorum hæreſis illa, quam Elipandus, Toleta-*

o) *annales Francorum*, quos edidit PETR. LAMBECIVS de *biblioth. cæſ. libr.* II p. 377, non niſi partem *chronici Moiſſiacenſis* amplectuntur, teſte BOVQVETO *loco cit.*

p) *libr.* IV *marcæ Hiſpanicæ*, qui non a PETRO DE MARCA; ſed a BALVZIO eſt conſcriptus resque in marca Hiſpanica geſtas, notatis annorum numeris, explicat, p. 345.

q) Cod. reg. *Paullo archiepiſcopo; ſeu Petro Mediolanenſi archiepiſcopo; ſeu etiam Italiæ, Galliæ, Gothiæ, Aquitaniæ, Gallæciæ epiſcopis, abbatibus, monachis, presbyteris, diaconibus, ſubdiaconibus, inter quos etiam venerabilis ac ſanctiſſimus abbas, Benedictus, qui vocatur Vitita, monaſterii Anianenſis, a partibus Gothiæ.*

letanæ ſedis epiſcopus, cum alio coepiſcopo ſedis Orgelitanæ, Felice nomine; ſed is infelix in dictis, cum ſociis eorum adferebant, Aiebant namque quod dominus noſter Ieſus Chriſtus, in quantum ex patre eſt ineffabiliter ante ſecula genitus, vere ſit filius dei, et in quantum ex Maria ſemper virgine carnem adſumere dignatus eſt, non verus; ſed adoptiuus filius r). *Sed ſancta et vniuerſalis ſynodus hoc neſandum dictum non conſenſit, ſed vna voce reſpuentes, contradixerunt* s) *atque hanc hæreſin funditus a ſancta eccleſia eradicandam ſtatuerunt, dicentes* t)*: dei ergo filius hominis factus eſt filius: natus eſt ſecundum veritatem naturæ ex deo dei filius, ſecundum*

r) Cod. Reg. *Quadam die reſidentibus cunctis in aula palatii, adſiſtentibus in modum coronæ presbyteris et diaconibus; nec non et vniuerſo clero in præſentia prædicti principis adlata eſt epiſtola, miſſa ab Helipanto, auctore negotii in vrbe, Toletanæ ſedis antiſtite, adiuncto ei ſocio Felice, Orgellitanæ ſedis præſule. Cumque, iubente rege, publica voce recitata fuiſſet, ſtatim ſurgens venerabilis princeps de ſella regia, ſtetit ſupra gradum: adloquutus eſt de cauſſa fidei, prolixo ſermone, et adiecit: quid vobis videtur? ab anno prorſus præterito et ex quo cœpit huius peſtis inſania, tumeſcente perfidia, ebullire, non paruus in his regionibus, licet in extremis finibus regni noſtri, error inoleuit, quem cenſura fidei neceſſe eſt omnibus reſecare.*

s) Cod. Reg. *ſynodus impiam hæreſim vna voce reſpuerunt atque contradixerunt.*

t) Cod. Cæſar. *non conſenſit; ſed ita alloquitur, dicens.*

dum veritatem naturæ ex homine hominis filius, veritas geniti non adoptione: non adpellatione; ſed in vtraque natiuitate filii nomen naſcendo haberet et eſſet verus deus et homo verus: vnus filius. Nec de hac re teſtari omiſit *Saxo poeta* [u]):

dira veneniferæ conatus ſemina ſectæ,
quæ Felix infelici male ſparſerat auſu,
vellere de ſacro domini radicitus agro,
catholicus princeps ſynodum celebrare vocatos
Vndique pontifices iam dictam fecit ad aulam.
Nec non adſuerat Stephanus cum Theophylacto.
Nam fuit antiſtes ſedis legatus vterque
Romanæ; quos papa ſacer mittens Adrianus
rite ſuam ſeruare vicem, mandauerat illic.
Tunc igitur cuncti cum decreto generali
hanc condemnauerunt hæreſin, ſcriptusque libellus
eſt illam contra, quem confirmauerat ille
pontificum cœtus, ſimul et ſubſcripſerat omnis.

Hæc vero recte ad ann. DCCXCIV adſcripſit. Pauca ſunt, quæ a ſcriptore vetuſto; ſed ἀνονύμῳ annalibus PAVLLI *diaconi* adiecta fuere, a MARQ. FREHERO primum in lucem protracta. In illis hæc leguntur [v]): *ann.* DCCXCIV *in Galliis in loco, qui Francofurth dici-*

u) de *geſt. Caroli M. libr.* III *verſ.* 196 ſqq. p. 157 ſqq. edit. BOVQVETI.
v) p. 190 *loc. cit.*

dicitur, aduerſus Elipandum, Hiſpaniarum Toletanæ ſedis epiſcopum, et Felicem, eius ſocium, magna ſynodus congregata eſt. Annalium, qui EGINHARDI nomen præ ſe ferunt, auctor copioſius rem expoſuit [x]): *ann.* DCCXCIV *rex ad condemnandam hæreſin Felicianam æſtatis initio, quando et generalem populi ſui conuentum habuit, concilium epiſcoporum ex omnibus regni ſui prouinciis in eadem villa* [y]) *congregauit. Adfuerunt etiam in eadem ſynodo legati Romani pontificis, Theophylactus ac Stephanus epiſcopi vicem tenentes eius, a quo miſſi fuerant, Adriani papæ. In quo concilio et hæreſis memorata condemnata eſt, et liber contra eam communi epiſcoporum autoritate compoſitus, in quo omnes ſubſcripſerunt.* Cum his coniungi licet locum *chronici Anianenſis*, itidem vetuſti [z]). Quod licet alioquin cum Moiſſacenſi conueniat; noſtrum

I 4

x) p. 211.

y) Vt hæc recte capiantur, repeti ea oportet, quæ *ann.* IↃCCXCIII adſcripta ſunt: *Carolus celebrauit natalem domini apud ſanctum Kilianum in Wirtziburgo iuxta Mœnum fluuium; paſchalis vero feſti ſolemnitatem ſuper eundem fluuium in villa Francofurt, in qua et hiemauerat.*

z) exhibetur a CLAVDIO DE VIC, IOSEPHO DE VAISSETTE in *adpend. tom.* I *de l' hiſtoir. generale de Langued.* p. 18. Hoc chronico vſus eſſe videtur BALVZIVS *loco cit.* neque ignorauit id clariſſimus BOVQVETVS; ſed in variis obſeruationibus, *chronico Moiſſiacenſi* ſubiectis eius facit mentionem; noſtrum tamen effatum ſilentio omiſit. Quare licet longius ſit, integrum tamen eſſe deſcribendum, cenſui.

ſtrum tamen argumentum luculentius et copioſius enarrat: *anno autem regni ſui* XXVI *peruenit ad aures piiſſimi principis ac orthodoxi Karoli, quod Heleſantus, Toletanæ ſedis epiſcopus, cum alio epiſcopo ſedis Orgelletanæ, Felice nomine, ſeu infelice in dictis, qui vtrique adſerebant, dicentes, quod dominus noſter Ieſus chriſtus, in quantum ex patre eſt ineffabiliter ante ſecula genitus, vere ſit filius dei, et in quantum ex Maria ſemper virgine, carnem aſſumere dignatus eſt, non verus; ſed adoptiuus filius, peruerſo ore auſi ſunt profiteri. Quo audito iam dictus princeps ad ſedem apoſtolicam Adrianoque papa vrbis Romæ miſſos dirigit ac ſuper præfatam hæreſin ſupradictum pontificem conſulens, ex omni imperio ſuo; vel regno per diuerſas prouincias regni ſui ſibi ſubiectas, telo fidei ſuccenſus, ſumma cum celeritate præcurrentia multitudo antiſtum, ſacris obtemperando præceptis, in vno collegio adgreganda conuenit apud villam, quæ dicitur Francofurt, vbi vniuerſali ſynodo congregata cum miſſis domni apoſtolici Adriani papæ; ſeu patriarcha Aquileienſe Paullo archiepiſcopo, ſeu Petro Mediolanenſe archiepiſcopo, ſeu etiam Italiæ, Gotiæ, Aquitaniæ, Galleciæ, ſicut ſupra dictum eſt, epiſcopis, abbatibus, monachis, presbyteris, diaconibus, ſubdiaconibus, inter quos etiam venerabilis ac ſanctiſſimus abbas Benedictus, qui vocatur Vitiza, monaſterii Anianenſis a partibus Gotiæ et religioſos ſuos monachos Bedæ: Ardo, qui eſt Smaragdus; ſeu etiam fratribus ſuis diſcipulis: hi ſunt Lugila, Anno, Rabanus,* Geor-

Georgius cum ceteris fratribus, cunctoque clero deuotoque populo, pariter adgregato. Qui antiquiore ætate *Sandionyſianos* annales Gallice conſcripſit, licet cum EGINHARDO plerumque conueniat; hoc tamen loco nonnulla adfert, ab illo omiſſa, partim veroſimillima; partim a veritate aliena. Ait enim [a]): *au commencement d' eſtè fit le rois un parlament des Barons et du peuple: apres reſiſt un concile de tous les Prelaz de ſon roiaume pour dampner l'eretie Phelicienne: a ce concile furent dui eueſque et legat de la court de* Roume, *Eſtiennes et Theophiles, ſi avoient le pooir le pape Adrien qui là les avoit envoiez. En ce concilè fu dampnée celle hereſie et ons libelles eſcris de la dampnacion et confermez par les ſeaux de tous les eveſques du concile.* ADO *Viennenſis*, ſeculo nono clarus, hæc habet [b]): *ann.* DCCXCIV *ſynodus iterum facta contra ſupradictam hæreſin in Francofurt, legatis apoſtolicæ ſedis præſidentibus Theophylacto et Stephano, epiſcopis et auctoritate ſanctorum patrum conuictus et damnatus eſt iterum Felix cum errore ſuo perpetuoque exilio apud Lugdunum relegatus eſt, quem ferunt, in eodem ipſo ſuo errore mortuum. Fuldenſis* [c]): *ann.* DCCXCIV *ſynodus habita in Francofurt, in qua hæreſis Feliciana coram epiſcopis Germaniarum et Galliarum Italorumque præ-*

a) *chroniques de S. Denis libr.* I *cap.* II p. 244 ſq. edit. BOVQVETI.

b) p. 320 edit. BOVQVETI.

c) p. 330.

ſente magno principe, Carolo, et miſſis Adriani apoſtolici, Theophylacto et Stephano epiſcopis, tertio damnata eſt et rata ſtipulatione damnatio roborata. Metenſis d): *anno dom. incarnat.* DCCXCIV *celebrauit rex paſcha in Francofurt, ibique congregauit ſynodum magnam epiſcoporum Galliarum, Germanorum, Italorum: vbi fuerunt miſſi domini papæ, Theophylus et Stephanus, epiſcopi. In hac ſynodo tertio condemnata eſt hæreſis Feliciana, quam damnationem per auctoritatem ſanctorum patrum in libro conſcripſerunt: cui libro omnes ſacerdotes manibus propriis ſubſcripſerunt.* HERMANNVS *contractus* e) eodem anno notato, *ſynodo magna,* inquit, *in Francofurt habita, hæreſis item Feliciana damnata eſt.* Simili modo LAMBERTVS *Schafnaburgenſis* f): *hæreſis Feliciana damnata eſt in ſynodo Francofurt:* nec plura dedit MARIANVS *Scotus* g). Hæc ſufficere videntur hiſtoricorum teſtimonia. Piget certe, plura addere, ſiquidem certum eſt, eos, qui recentiore ætate huius generis compoſuere annales, non niſi antiquiores deſcripſiſſe.

XXI.

ACCEDIMVS potius ad ſecundam monimentorum, quibus memoria concilii Francofurtenſis ſeruata fuit, claſſem. Ad hanc referenda eſſe cenſeo, quæ in *conciliorum* collectioni-

d) p. 347.
e) p. 364.
f) p. 367.
g) p. 369.

lectionibus ampliſſimis, *actorum concilii Francofurtenſis* nomine ornata, in lucem prodire conſueuerunt. *Primum* in his locum obtinere ſolet: *epiſtola Adriani papæ ad epiſcopos Hiſpaniæ contra Elipandum epiſcopum Toletanum.* Satis longa illa eſt et fuſius diſputat de dogmate FELICIS atque ELIPANDI, quod falſum eſſe et veritati contrarium, variis argumentis, partim ex ſcriptura ſacra; partim ex monumentis vetuſtiorum chriſtianæ ciuitatis doctorum comprobare, ADRIANVS ſuſcepit [h]). Quamuis omnia, quæ illa continentur, haud placeant; fatemur tamen, eam pro æui illius rationibus, nec doctrinæ; nec eloquentiæ ornamentis omnibus carere. Paucas vero eius partes hoc loco, quo hiſtoriam rei exponere decreuimus, in vſus noſtros conuertere poſſumus. Litterarum initium, ſi quid iudicamus, dignum eſt, quod a nobis recitetur: *dilectiſſimus filius noſter et ſpiritalis compater domnus Carolus magnus et venerabilis princeps, rex Francorum ac Longobardorum; ſeu patricius Romanorum, ſæpe nos ſtyli ferculo, catholicæ fidei epulas offerendo, multa refectionis dulcedine ſatiare conſueuit et confluente ad vallem mentis*

h) poſt SVRIVM, collectionem conciliorum *regiam* et LABBEVM edita fuit a IOS. SAENZ d'AGVIRRE *concil. Hiſp. tom.* III p. 91 ſqq. et IOANNE HARDVINO *concil. tom.* IIII p. 865 ſqq. quem nos quidem hoc loco ſequemur. Produxit enim eam, ex apographo, quod a Ieſuitis Pariſienſibus adſeruatur, emendatiorem.

mentis ex aliis quibusque rebus amaritudinis vnda, mellitis quinimo riuulis lætitiæ de fonte manantibus, ſumma nihilominus ſuauitate temperare non ceſſat; ſed quoniam feruenti ſuccenſus fideli zelo, ea, quæ contraria orthodoxæ fidei Spaniarum de confiniis adlata ſibi perſenſit, noſtris curauit ſumma pernicitate obtutibus præſentari. Paucis interpoſitis, quæ a noſtro propoſito ſunt aliena, hæc ſubiicit: *cumque perlectus et ſagacius exploratus fuiſſet epiſtolæ textus, reperta ſunt in eodem pſeudoſyllabo perquam plurima, cum auctore ſuo Elipando, Toletanæ ſedis archiepiſcopo, redarguenda ac per hoc redargutionis vindicta modis omnibus vlciſcenda.* Præter hæc, noſtra intereſt, ſcire, omnino has litteras ab Adriano ad Hiſpanicos ſacrorum antiſtites datas fuiſſe. Quamuis enim nonnulli fuerint, qui verba inſcriptionis: *dilectiſſimis fratribus et conſacerdotibus noſtris, Galliciis Spaniisque eccleſiis præſidentibus*, de Gallia atque Hiſpania accipi mallent, quam de ſola Hiſpania; eorum tamen coniecturam remotam eſſe a veritate, grauiter docuit CAROLVS LE COINTE [i]) atque eleganter obſeruat, Hiſpaniam eo tempore in duo regna diuiſam eſſe, quorum alterum, *Gallicia*, Adefonſo, chriſtiano regi; alterum, *Hiſpania*, Iſeno, Mahumedanis ſuperſtitionibus addicto, eſſet ſubiectum. De tempore, quo epiſtola hæc fuerit exarata, difficilior eſt diſputatio, quod nullas illius notas præ ſe ferat expreſſas. Quare

i) *annal. eccleſ. Francor. tom.* VI. p. 496.

Quare nec mirum, viros doctos in illo definiendo humani quid eſſe paſſos. Quem modo laudaui, CAR. LE COINTE k), refert eam ad ann. DCCXCIII. PAGIVS l) et MADRISIVS ll) ſcriptam eam eſſe putant, breui tempore poſt concilium Romanum, celebratum ann. IƆCCLXXXXII. Vtraque pars vix aliquot menſium ſpatio inter ſe differunt. Prouocare ſolent ad hæc CAROLI *magni* verba m): *primo quid dominus apoſtolicus cum ſancta Romana eccleſia et epiſcopis illis in partibus quaquauerſum commorantibus, et catholicis doctoribus ſentiret, ſub vnius libelli tenore ſtatuimus.* Quæ quidem recte ita interpretantur, vt eamdem, quam diximus, ADRIANI epiſtolam a CAROLO vna cum ceteris concilii actis in Hiſpaniam miſſam eſſe, ſignificent; at nullam videmus cauſſam, cur hac epiſtola decreta concilii Romani exponi, ſit ſtatuendum. Vt ſecus ſentiamus, efficit potiſſimum harum litterarum, quod memorauimus, teſtimonium, compoſitas eas eſſe ad confutandos errores ELIPANDI in epiſtola traditos, quam CAROLVS Adriano transmiſerit. Nulla enim ELIPANDI memoratur epiſtola ad Carolum præter eam, quæ conuocandi Francofurtenſis concilii præbuit occaſionem. Quare ſi omnia circum-

k) *loc. cit.*

l) *critic. in annal. Baron. ann.* DCCXCIV §. 4.

ll) *diſſ. de Felice* §. XXXV p. 217.

m) conf. HARDVINI *concil. tom.* IV p. 898.

circumſpicimus, non poſſumus, quin credamus, eodem tempore ADRIANVM litteras illas ſcripſiſſe, quo ſynodus illa fuerit celebrata; hac tamen ratione, vt traderentur CAROLO, antequam concilii ſancita ad Hiſpanos perferrentur, id eſt, ſub initium anni DCCXCIV [n]).

XXII.

SECVNDO loco memorandus eſt *libellus epiſcoporum Italiæ contra Elipandum, decreto concilii miſſus ad prouincias Hiſpaniæ*, qui inter primaria controuerſiæ Felicianæ monimenta iure ſuo numerari conſueuit. Idem eſt ac *ſacroſyllabus* PAVLLINI *Aquileienſis* [o]), quem cum priuato ſtudio compoſuiſſet et Francofurti ceteris, qui ibi aderant, obtuliſſet,

n) de hac ADRIANI epiſtola nonnulla, haud negligenda, monuit GABR. VASQVEZIVS *oper. et diſp. in d. Thom. tom.* III *diſſ.* LXXXIX *cap.* 7. p. 701.

o) PAVLLINVS iſta ætate maxima apud Carolum valuit auctoritate multamque diligentiam in confutanda *Elipandi* ac *Felicis* doctrina poſuit diligentiam. Legantur de eo IO. BOLLANDVS *act. ſanct. tom.* I *ianuar.* p. 713 FERDINAND. VGHELLVS *Ital. ſacr. tom.* V p. 40 GVIL. CAVEVS *hiſtor. litter. ſcriptor. eccleſ. tom.* I p. 538 IO. ALB. FABRICIVS *biblioth. latin. med. et infim. ætatis tom.* V p. 604. *hiſtoir. litter. de la France tom.* IV p. 284 FRANC. BERN. MAR. DE RVBEIS *moniment. eccleſ. Aquilei. cap.* XLI ſqq. et qui omnium princeps eſt, IO. FR. MADRISIVS in *vita Paullini*, operibus eius præmiſſa.

ſet, id conſequutus eſt, vt omnes illum adprobarent ac ſuo communi nomine ad Hiſpanos perferri, iuberent. Bina hinc eiusdem libelli exſtant exempla, inter ſe diuerſa, ita vt modo ſingulari, modo multitudinis numero loquentis perſona ſignificetur atque alteri præmittatur illa formula, quam poſtea recitabimus. Quod niſi obſeruetur; facile fieri poteſt, vt pro diuerſis ea habeantur, quæ omnino eadem ſunt. Conſulas CAROLVM LE COINTE p) et IO. FRANC. MADRISIVM q). Quare factum eſt, vt qui recentiore ætate hunc libellum litterarum formis curarunt deſcribendum, modo PAVLLINI *ſacroſyllabum*; modo *epiſcoporum Italiæ epiſtolam* eligerent. Primus, libellum, PAVLLINI nomine ornatum, in lucem edidit IOANNES TILIVS r). Hunc ſequuti ſunt IOANN. HEROL-

p) *annal. eccleſ. Franc. tom.* V p. 503.

q) *loc. cit.* p. XXVII.

r) IOANNI TILIO, qui *Eliæ Philyræ* nomen, *in præfatione* expreſſum, adſciuerat, debemus libellum, inter rariores numerandum, cuius hæc eſt inſcriptio: *opus illuſtriſſimi et excellentiſſimi; ſeu ſpectabilis viri Caroli m. nutu dei - - contra ſynodum, quæ in partibus Græciæ pro adorandis imaginibus ſtolide; ſiue arroganter geſta eſt: item Paullini, Aquileienſis epiſcopi, aduerſus Felicem Vrgelitanum et Eliphandum Toletanum epiſcopos libellus. Quæ nunc primum in lucem reſtituuntur* ann. CIↃIↃXLIX ſine loci nota, de quo præter alios ven. HEVMANNI *præf. cenſuræ auguſtæ concilii Nicæni* legatur.

HEROLDVS [s]), ANDR. DVCHESNIVS [t]), MARGARINVS DE LA BIGNE [u]) ac Pariſienſes *bibliothecæ patrum* collectores [v]). *Epiſtolam* vero *epiſcoporum* ediderunt: MELCHIOR GOLDASTVS [x]), IAC. SIRMONDVS [y]), IOS. SAENTZ D'AGVIRRE [z]), *conciliorum* collectores [a]) et doctiſſimus MADRISIVS [b]), qui et CASPARI BARTHII [c]) et ſuas adiecit obſeruationes. Accedimus nunc ad recitandas huius epiſtolæ partes, quæ propoſito noſtro argumento lucem adferunt. Præmittitur illis breuis præfatio, quam, vix dubito, ad ætatem Carolinam, certe hac non multo inferiorem, eſſe referendam, his verbis expreſſa: *incipit libellus ſacroſyllabus catholico ſalubriter editus ſtylo, in concilio, diuino nutu habito in ſuburbanis Moguntiæ, metropolitani*

gatur. Poſtea PETRVS PITHOEVS eadem opuſcula denuo edidit. conf. illuſtriſſimum BVNAVIVM *in der Reichsh. tom.* II p. 488.

s) in *orthodoxogr. num.* LVI.

t) *oper.* ALCVINI p. 1873.

u) *bibliothec. patrum tom.* V editionis primæ et *tom.* IV edit. ſecundæ.

v) *tom.* IV *part.* I edit. ann. MDCLIV.

x) *conſtitut. imper. tom.* I p. 18.

y) *concil. Gall. tom.* II p. 167.

z) *concil. Hiſpan. tom.* III p. 93.

a) conf. PHIL. LABBEI *conc. tom.* VII p. 1022 ſqq. et IO. HARDVINI *concil. tom.* IV p. 873.

b) *oper.* PAVLLINI p. 1 ſqq. Hanc editionem nos ſequi, ſemel notaſſe, ſatis eſt.

c) ex *aduerſar. libr.* XLII *cap.* 14 et *libr.* XLIII *cap.* II deſumtas.

tanæ ciuitatis, regione Germaniæ in loco celebri, qui dicitur Francoſurdi, ſub præſentia clementiſſimi principis, domini Caroli, glorioſique regis, anno feliciſſimo regni eius XXVI. *Placuit igitur ſancto venerandoque concilio, quatenus hic libellus pro cauſſa fidei ad prouincias Galliciæ ac Spaniarum mitti deberet ob noxios reſecandos errores; ſpecialiter autem ad Elipandum Toletanæ ſedis epiſcopum, in quo omnis huius negotii conſtat materia quæſtionum.* His poſitis, tractationi ipſi præmittitur hæc initii formula, ſine dubio Francofurti ab epiſcopis Italis additæ, licet etiam iis exemplis præfixa ſit, quæ non niſi PAVLLINI nomen præ ſe ferunt: *Sancto incitante ſpiritu ac zelo fidei catholicæ ſcintillatim ſub pectore ferueſcente clementiſſimi glorioſique Caroli regis, domini terræ, imperii eius decreto per diuerſas prouincias regni, eius ditioni ſubiectas, ſumma celeritate percurrente, multitudo antiſtitum ſacris obtemperando præceptis, in vno collegio adgregata conuenit. Quadam die, reſidentibus cunctis in aula ſacri palatii, adſiſtentibus in modum coronæ presbyteris, diaconibus cunctoque clero, ſub præſentia prædicti principis adlata eſt epiſtola, miſſa ab Elipando, auctore noxii fœderis, Toletanæ ſedis Pſeudo-epiſcopo, Hiſpalenſi termino circumſeptiæ. Quumque iubente rege, publica voce recitata fuiſſet, ſtatim ſurgens venerabilis princeps de ſella regia, ſtetit ſupra gradum ſuum, ac loquutus eſt de cauſſa fidei prolixo ſermone et adiecit:* quid vobis videtur?

detur? ab anno prorſus præterito et ex quo cœpit, huius peſtis inſania tumeſcente, perfidiæ vlcus diffuſius ebullire, non paruus in his regionibus, licet in extremis finibus regni noſtri, error inoleuit, quem cenſura fidei, neceſſe eſt, modis omnibus reſecare. *Quumque imprecata ac conceſſa eſſet moroſa dilatio per dies aliquot, placuit eius manſuetudini, vt vnusquisque, quidquid ingenii captu rectius ſentire potuiſſet, per ſacras ſyllabas die ſtatuto eius dementiæ oblatum ſui cor pectoris, fidei munus ſtili ferculo mentis viuacitate deferret. Sed ſicut mos eſt hæreticis, triſtia lætis: dulcia permiſcere amaris: veneni poculum mellis ſapore temperare, quædam in eadem epiſtola plena blaſphemiis et catholicæ fidei reperta ſunt modis omnibus inimica; quædam vera, ſi dici liceat, inueniri poterant non reiicienda. Sed in eodem poculo, in quo gutta veneni turgeſcit infuſa, mellis nihilominus amareſcit dulcedo.* Progreditur deinde PAVLLINVS ad confutandam ELIPANDI de adoptione chriſti doctrinam ac varia, quæ contra hanc pugnare videbantur, argumenta in vnum locum congerit. Vtitur oratione difficili ac ſubobſcura, vt haud raro arduum ſit, quid ſignificare voluerit, adcurate definire; neque abſtinet a conuitiis verbisque acerbis, quæ ſi quid iudicamus, virum ſacri ordinis parum decent. At iſta iam prætermittimus, aliena a noſtro inſtituto; temperare autem nobis non poſſumus, quin addamus initium diſputationis, quo epiſcopi enumerantur,

tur, qui PAVLLINI libellum adprobarunt: *quapropter ego Paullinus, licet indignus peccator omniumque ſeruorum domini vltimus ſeruus, Aquileienſis ſedis, Heſperiis oris adcinctæ, cui, deo auctore, ſeruio, nomine, non merito præſul, vna cum reuerendiſſimo et omni honore digno, Petro, Mediolanenſis ſedis archiepiſcopo, cunctisque collegis, fratribus et conſacerdotibus noſtris Liguriæ, Auſtriæ, Heſperiæ, Aemiliæ, catholicarum eccleſiarum venerandis præſulibus*, cetera [d]).

XXIII.

TERTIVM adſignamus locum *epiſtolæ ſynodicæ ab epiſcopis Galliæ et Germaniæ ad præſules Hiſpaniæ miſſæ* [e]). Quinam illius auctor ſit, ignorare nos, lubentes fatemur; nec CAESAR BARONIVS [f]); nec CAROLVS LE COINTE [g]); nec alius quisquam eorum, qui illius fecere mentionem, coniectura id adſequi, conati ſunt. Sufficit, non ſolum ex inſcriptione; ſed etiam formula ſalutandi, litteris illis præmiſſa, patere, quod communi Germaniæ et Galliæ epiſcoporum, qui concilio

d) adde IAC. LONGVEVAL *hiſtoire de l'egliſe Gallicane tom.* V p. 17.

e) exſtat apud IAC. SIRMONDVM *concil. Gall. tom.* II p. 175. IOS. SAENTZ AGVIRRIVM *concil. Hiſpan. tom.* III p. 102. IO. HARDVINVM *concil. tom.* IV p. 882 ceterosque conciliorum collectores et IO. CHRISTIAN. LVNIGIVM *Spicileg. eccleſ. des deutſchen Reichsarch. tom* I p. 571.

f) *annal. eccleſ. ann.* DCCXCIV §. XIII.

g) *annal. eccleſ. Francor. tom.* V p. 505.

lio interfuerant, nomine eas fuiſſe exaratas. Illa vero hæc eſt: *ſancta ſynodus et venerabiles in chriſto patres cum omnibus epiſcopis Germaniæ, Galliæ et Aquitaniæ et toto catholicæ pacis clero, præſulibus Hiſpaniæ et ceteris ibidem chriſtianitatis nomen fatentibus, in domino deo, dei filio vero et proprio, Ieſu chriſto, æternæ beatitudinis ſalutem.* Nec dubito, epiſtolam hanc eſſe eamdem cum *libro*, cui omnes præſules ſubſcripſiſſe memorant, quorum antea recitaui teſtimonia, ſcriptores annalium *Loiſelianorum*, EGINHARDI, *Sandionyſianorum*, *Metenſiumque et poeta Saxo.* Secus ſentit doctiſſimus MADRISIVS [h]) ac laudata effata, EGINHARDI certe et *Saxonis*, de ſacroſyllabo PAVLLINI interpretari mauult. At dediſſe eum nimium, quo in PAVLLINVM ſuum fertur, amori, vt hic nonnihil inde reportaret laudis, neminem, puto, non intelligere. Longior præterea et verboſior hæc eſt epiſtola ſynodica ſacroſyllabo Italorum, licet neque iis, quæ in iſto libello reprehendi debent, careat vitiis. Nihilominus non ſpernimus litteras, quibus multa ELIPANDI effata conſeruata ad nos peruenerunt. At nihil exhibent argumenti hiſtorici, ſi ab vno loco diſceſſeris, quem recitare libet: *inter cetera itaque, quæ pro huius fidei firmitate tractauimus, domini regis noſtri præcipua pietate et laudabili ſapientia adſidente et auxiliante nobis, præcepit ſubito glorioſa illius excellentia fidei veſtræ*

h) *loc. cit.* §. XLV ſq. p. 219 ſqq.

veſtræ libellum adferri in medium. Qui quum a notario, nobis diligentius attendentibus, ſub diſtinctione ſententiarum et proprietate ſenſuum perlegeretur ad finem, audiuimus in eo nouas quasdam adſertiones exaratas.

XIIII.

Quarta eſt *epiſtola Caroli magni regis ad Elipandum et ceteros epiſcopos Hiſpaniæ* i), omnium a Carolo exaratarum, quas benignior fortuna nobis ſeruauit, et longiſſima et doctiſſima, immo ſi vera fateri licet, ceteris, quas commemorauimus ob benignioris ac ſedati animi ſignificationes, præferenda k). Ex his litteris multa diſcimus, quæ concilii Francofurtani memoriam egregie illuſtrant, ſingulatim a nobis notanda. Bene atque adcurate narrat, miſiſſe ELIPANDVM binas litteras, alte-

K 3

i) edita a *centuriator. Magdeb. cent.* VIII p. 631 ſqq. CAESARE BARONIO *annal. eccleſ. ann.* DCCXCIV §. XV *tom.* XIII p. 205 ſqq. edit. Lucenſis. MELCH. GOLDASTO *conſtit. imp. tom.* I p. 19. IACOBO SIRMONDO *concil. Gall. tom.* II p. 186. IOS. SAENZ DE AGVIRRE *concil. Hiſpan. tom.* III p. 116. PHIL. LABBEO *concil. tom.* VII p. 1047. IO. HARDVINO *concil. tom.* IV p. 896 et IO. CHRISTIAN. LVNIGIO *ſpicil. eccleſ. part.* I p. 32.

k) conf. CAR. LE COINTE *annal. eccleſ. Francor. ann.* DCCXCIV §. XIV. *hiſtoir. litterair. de la Fr. tom.* IV p. 328. IAC. LONGVEVAL *hiſtoir. de l'egliſe Gallicane tom.* V p. 22 illuſtriſſimum BVNAVIVM *loc. cit. tom.* II p. 483 et REMIG. CEILLERIVM in *hiſtoir. des auteurs ſacres ec eccleſ. tom.* XVIII p. 408 ſqq.

alteras ad Galliæ Germaniæque præſules, alteras ad CAROLVM: *pro qua etiam*, inquit, *viri fratres et bona veſtra deuotio, quam vos habere decet, in domino his partibus veſtræ fidei litteras dirigere, curaſtis, vtrumque et generales ad ſacerdotales ſanctiſſimas aures, ad nos quoque ſpeciales. In quarum vtique ſerie litterarum non ſatis nobis elucebat, an quaſi ex auctoritate magiſterii nos veſtra docere diſpoſuiſtis; an ex humilitatis diſcipulatu noſtra diſcere deſideratis.* Poſtquam eos vberius adhortatus eſt, vt meliora edocti, ad derelinquendam opinionem ſeſe exhiberent promtos et paratos, ac declarauit, quantam voluptatem ex ſpe futuri eorum ad rectiorem ſententiam reditus caperet, hæc de conuentu, Francofurti habito, expoſuit: *ad impletionem vero huius gaudii fraterna cogente caritate, iuſſimus, ſanctorum patrum ſynodale ex omnibus vndique noſtræ ditionis eccleſiis congregari concilium: quatenus ſancta omnium vnanimitas firmiter decerneret, quid credendum ſit de adoptione carnis chriſti, quam nuper nouis adſertionibus et ſanctæ dei vniuerſali eccleſiæ antiquis temporibus inauditis, vos ex veſtris ſcriptis intuliſſe, nouimus. Immo et ad beatiſſimum apoſtolicæ ſedis pontificem de hac noua inuentione, noſtræ deuotionis ter quaterque direximus miſſos: ſcire cupientes quid ſancta Romana eccleſia, apoſtolicis edocta rationibus, de hac reſpondere voluiſſet inquiſitione. Nec non de Brittanniæ partibus aliquos eccleſiaſticæ diſciplinæ conuocauimus viros, vt ex multo-*

rum

rum diligenti conſideratione veritas catholicæ fidei inueſtigaretur et probatiſſimis ſanctorum patrum hinc inde roborata teſtimoniis absque vlla dubitatione teneatur. Enumeratis epiſtolis, quas ſuis litteris adiungi iuſſerat CAROLVS, ſcriptis cum ab ADRIANO, pontifice Romano: tum ab epiſcopis Italiæ, PETRO quippe *Mediolanenſi*, PAVLLINO *Aquileienſi* aliisque: tum denique a præſulibus Germaniæ, Galliæ, Aquitaniæ et Britanniæ, quarum ipſi perſequuti ſumus argumenta, fuſius ſuam de adoptione chriſti ſententiam eiusque rationes exponit. Inter alia tradit, ELIPANDVM rogaſſe eum per chriſtum, *vt per ſe ipſum arbiter ſedeat*, atque ad hæc reſpondet: *ecce ego veſtris petitionibus ſatisfaciens congregationi ſacerdotum auditor et arbiter aſſedi. Diſcreuimus et, deo donante, decreuimus, quid eſſet de hac inquiſitione tenendum.* Nonnullis interpoſitis, fidei recitat formulam, ſymbolorum more expreſſam, in quá de chriſto ita pronuntiat: *deum verum de deo vero: natum, non factum: naturalem, non adoptiuum*, ac repetita cohortatione ad amplectendam Francofurtenſium doctrinam, epiſtolam concludit. In qua ſi quid nimium auctoritati doctorum tribuatur, ignoſcendum id eſſe æui, quod CAROLVS illuſtrauit, ſorti triſtiori, æquo animo cenſemus.

XXV.

DENIQVE vltimum locum tenent *canones concilii Francofurtenſis*, quorum quinqua-

ginta ſex ſolent numerari atque ad noſtram ætatem feliciter perlati. Ex his binos priores, IOANNES FILIVS, quem laudaſſe nos meminimus, vna cum *libris Carolinis* primus in lucem produxit, ceteros vero ANDR. DVCHESNIVS ex Rhemenſi deſcribendos curauit. Hunc ceteri, qui eadem decreta ediderunt [l]), ſequuti ſunt, licet non diffiteamur, ſuſpicari nos, decreta quinquaginta quatuor, poſtremo loco poſita, potius pro ſancitis comitiorum, eodem tempore celebratorum; quam concilii eſſe habenda [m]). Nec dubitamus, viros doctos, qui argumenta eorum expenderint, eidem coniecturæ eſſe acceſſuros. At mittimus hæc, quæ a noſtro inſtituto ſunt remota. Certum enim eſt, ad nos nihil pertinere, præter canonem *primum*, cuius hæc ſunt verba: *coniungentibus deo fauente, apoſtolica auctoritate atque piiſſimi domni noſtri, Caroli regis iuſſione, anno XXVI. principatus ſui cunctis regni Francorum, ſeu Italiæ, Aquitaniæ prouinciæ epiſcopis ac ſacerdotibus ſynodali concilio, inter quos ipſe mitiſſimus ſancto interfuit*

l) exſtant in *oper.* ALCVINI a DVCHESNIO editis p. 1889 ſqq. IAC. SIRMONDI *concil. Gallic. tom.* II p. 302. PHIL. LABBEI *concil. tom.* VII p. 1056. MELCH. GOLDASTI *conſtit. imp. tom.* I p. 18. IO. HARDVINI *concil. tom.* V p. 903.

m) hinc recte ea a STEPH. BALVZIO inter *capitularia* Caroli magni relata ſunt *tom. I* p. 261 et a MART. BOVQVETO *ſcript. rer. Franc. tom.* I p. 650.

fuit conuentui. Vbi in primordio capitulorum exortum eſt de impia ac nefanda hæreſi Elipandi, Toletanæ ſedis epiſcopi, ac Felicis Orgellitanæ eorumque ſequacibus, qui male ſentientes, in dei filio adſerebant adoptionem. Quam omnes, qui ſupra ſanctiſſimi patres et reſpuentes vna voce contradixerunt atque hanc hæreſin funditus a ſancta eccleſia eradicandam ſtatuerunt [n]).

XXVI.

Si quis hæc, quæ enumerauimus, concilii Francofurtani monimenta diligentius expenderit, is certe exemplo omnium, qui ante nos in hoc argumento explicando, verſati ſunt, indigne feret, vtramque epiſtolam ELIPANDI, a CAROLO aliisque aperte commemoratam, hoc loco omitti. Nec negari poteſt, non ſolum vtrasque litteras adhuc fuiſſe deſideratas atque deperditas habitas; ſed etiam pleroſque in ea fuiſſe opinione, vt nonniſi alteras ad Carolum ſcriptas eſſe, cenſerent, ſeque alteras ad præſules Germaniæ penitus ignorare, proderent. Benignior noſtra eſt ſors, poſtquam vir doctiſſimus HENRICVS FLORVS, Hiſpaniæ ſacræ opere illuſtris, inter cetera antiquioris æui monimenta, has quoque ex codice manuſcripto Toletano protulit [o]). Litteras quidem, quas ELIPANDVS

 ad

n) Præter hæc, in ceteris omnibus canonibus; ſiue potius capitulis, ne vnum quidem verbum de Felice factum eſt.

o) intereſt noſtra, recitare ea, quæ vir doctus de codi-

ad Carolum ſcripſit, dedit integras p); nec poſſumus a nobis impetrare, quum certum ſit, Hiſpaniam ſacram in his terris paucarum bibliothecarum futuram eſſe ornamentum, quominus easdem integras deſcribamus:

„Domino inclito atque glorioſo diuerſarum gentium Principi M. in Domino Patre et Domino Ieſu Chriſto Filio eius, et Spiritu ſancto æternam ſalutem. Amen.„

„1) Celebre ac ſolemne nomen illud glorificare fautore Deo, veluti iubar æthereum præ cunctis Regibus terræ, cuius opinio quaſi odor nectareus, et nardi piſtici pretioſus toto pene flagrat in mundo, noſtro redolet cordi, e pectoris arcano; cuius vt ſoſpitas diuina protegente dextera pro ſaluatione totius eccleſiæ catholicæ diutino conſeruetur per æuum acclines proſtrati humo preces offerimus Regi ſempiterno.

„2) His

codice, ex quo hæc deſumſit in *Eſpanna ſagrada tom.* V p. 539 ſcripſit: *las ineditas ſe hallan en un MS. Gothico de la ſanta Igleſia de Toledo, que parece ſe diſcubrio, quando en et anno 1727 ſe coordinaron de nuevo los MSS. pro los Rmos. Padres Benedictinos, Fr. Martin. Sarmiento, y Fr. Diego Mecolaeta; pues antes no hay memoria cierta de Eſcritor que los manejaſſe. Vna es contra Migecio, otra a Carlo magno y otra o los Obiſpos de ſuo dominio. Et codigo es de pergamino en letras Gothicas y no en todo bien conſeruado de modo, que ſolo a coſta de gran trabajo, con mucha atencion y no ſin conocimiento y practica del caracte ſe puede desfrutar.*

p) *loco cit.* p. 558 ſqq.

„2) His prædictis, ad notionem ſeruo„rum tuorum peruenit eo quod antifraſii Bea„ti fœtidi nidoris ſcripto quorundam ſacerdo„tum paruipendentium corda ſua polluerit ve„neno; in eo, quod Dominum Dei filium ſine „tempore vnigenitum, et ſine adoptione, „nunc in fine temporis pro humani generis ſal„uatione atque redemtione plenum et perfe„ctum hominem, præter delicti contagium, „humano generi conſimilem, conſortem at„que conformem, et cohæredem, ſecundum „Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, „Euangeliſtarum, atque doctorum fidem, de „quibus Dominus loquutus eſt: Vos eſtis lux „mundi, et vos eſtis ſal terræ, et qui vos au„dit, me audit, et qui vos ſpernit, me ſper„nit - - - nefandus Presbyter et Pſeu„dopropheta aſſeuerat, Dei filium in forma „ſerui Deitate exinanita, nequaquam ex vte„ro Virginis carnis adſumpſiſſe adoptionem. „Contra cuius veſaniam nos indigni, et exi„gui iuxta tenuitatem noſtri ſenſus ſacerdoti„bus veſtro regimini ſubditis epiſtolam rele„gendam, atque tractandam, et veſtris ſacris „obtutibus præſentandam direximus; poſcen„tes vos per eum, qui pro te in Crucem ma„nus innoxias extendit, et pro te ſanguinem „pretioſum effudit, et pro te mortem per„tulit, et ſepulchrum et ad liberandos electos „ad infernum deſcendit et pro te reſurgens „tibi viam ad cœlos reuertendi, ſcilicet ad „cœleſtem patriam, demonſtrauit; vt per te

„ipſum

„ipſum arbiter ſedeas, et inter Felicem Epi-
„ſcopum, quem nouimus ab ineunte ætate in
„Dei ſeruitio proximum partis noſtræ defen-
„ſorem, et eos, qui ſacrilegum et carnis fla-
„gitio ſaginatum, iam dictum Antifraſium Bea-
„tum defendunt, caſto et ſalubri iudicio diri-
„mas et absque adulationis oleo, æquo pon-
„dere ſententiam promas. Ita Dominus Dei
„filius colla gentium barbarorum imperio po-
„teſtatis veſtræ ſubiiciat, et dentes eorum
„acrius conterat, et gloriam eorum, qui tibi
„contradicunt, in puluerem redigat. Equi-
„dem erant adhuc aliqua neceſſaria, quæ cul-
„mini veſtro, Deo præſide, ſublimato, ſtylo
„percurrente vobis inſinuaremus; ſed tempo-
„ris anguſtia præpediti, quod verbo explica-
„re nequiuimus, epiſtolæ gerulo vobis inſi-
„nuandum in ore poſuimus. Iterum nimio
„dolore contriti ſententiam Domini tibi ne-
„quaquam incognitam ad memoriam reduci-
„mus, quia dicit: Diſcite a me, quia mitis
„ſum, et humilis corde, et inuenietis re-
„quiem animabus veſtris. Et illud, quod mu-
„lierem, in adulterio deprehenſam, et de la-
„pidibus Iudæorum liberauit et ne delictum
„iteraret, admonuit.

„3) Idcirco veluti proſtrati coram tuis
„obtutibus cum lacrymis poſcimus, vt famu-
„lum tuum Felicem in proprio honore reſtau-
„res, et paſtorem gregi, a lupis rapacibus di-
„ſperſo, reformes. Reminiſcens et illud,
„quod omnipotens Deus a vobis longe effi-
„ciat

„ciat, de Conſtantino Imperatore, qui, dum „eſſet idololatriæ cultor, per Beatum Syluestrium factus eſt Chriſtianus, poſtea per ſerpentem ſororem ſuam ſanctorum trecentorum decem et octo ſententiam refutans in Ariano dogmate conuerſus et ad infernum flenda ruina dimerſus diem clauſit extremum. De „quo Beatus Iſidorus dicit: Eu proh dolor, „bono vſus principio et fine malo. Vnde itidem petimus, vt fœtidiſſimi Antiphraſii Beati doctrinam, qui Dei Filium veram de Virgine, præter peccatum, carnem noſtræ ſimilem adſumpſiſſe, denegat, de regno tuo „aboleas, et catholicam fidem enucleato ſermone, populo tibi ſubdito tenendam præcipias.

„4) Sed et illud pauendum eſt piiſſime, „et nobis vernule Domine, ne fortaſſe, vbi „Deo Præſule, merito veſtro viſibilis gentilium non eſt ingreſſa poteſtas, hoſtis antiqui, „quod abſit, inuiſibiliter dominetur execranda calamitas, quæ et multarum animarum „perditionem per Antifraſium ſæpe dictum „Beatum carnis laſciuiæ deditum, ſibi adquirat et ad infernum ignis æterni incendio exurenda ſecum perducat. Pertractet, et ruminet illud ſacri pectoris veſtri arcanum, „quod vere Deo ſit placitum, et in conſpectu „eius redoleat operis veſtri incenſum et thymiamitis flagret boni odoris holocauſtum. „Reminiſcatur et illud charitas veſtra, quod „Petrus Princeps Apoſtolorum, cum in gen-

„tibus

„tibus circumciſionem fieri ordinaret, a Iunio-
„re Paullo, non abſconſe, ſed publice repre-
„henſus eſſe dignoſcitur, dicens: Si tu cum
„ſis Iudæus, gentiliter et non iudaice viuis,
„quomodo gentes cogis iudaizare? Cuius
„ſententiam prædictus Apoſtolorum princeps,
„rationi concordans et veritatis amicus non
„contempſit; ſed illico acquieuit, recolens,
„quod ſcriptum eſt: Si iuniori reuelatum fu-
„erit, ſenior taceat: et, proximus ille Deo
„eſt, qui ſcit, ratione tacere. Nam et omni-
„potens Deus aliquando ſententiam ſuam mu-
„tat; conſilium vero nunquam. Sicut de
„Ezechia factum eſt. Cur iſta dixerim, porro
„doctus intelliget. Sed et illud, conſilium
„multorum ne contempſeris vnus. Scilicet
„tantorum venerabilium Patrum de adoptione
„carnis Chriſti ſententias ne reprobes ſolus.
„Nam dicitur, quod terrore poteſtatis mul-
„tos, non iuſtitia, conuincas. Doleat pieta-
„ti veſtræ idem fœtidus Beatus poſt conuer-
„ſionem iterum, atque iterum ad thorum
„ſcorti reuerſus ſe glorietur, et in vniuerſas
„partes ſcribat, et glorioſum Principem per
„ſuam doctrinam horribilem et ab errore con-
„uerſum, et in Fide Catholica confirmatum.
„Sed et opinio inutilis in gentibus diuulgata
„eſt, quod credi nefas eſt, eo quod more
„gentilium Chriſtum negaueris Dei Patris eſſe
„filium. His exploſis, petimus, vt clam nos
„reciprocatus ſermo veſter inluſtret, qui nos
„læti-

„lætificet et oratio ſeruorum tuorum imperii „veſtri culmen exaltet. Amen.„

Quod ad alteras litteras, quas epiſcopis Germaniæ et Galliæ ſcripſit, non dubitamus, quin alii nobiscum ſummopere doleant, FLORVM nonniſi breuiſſimas illius partes edidiſſe q). Nolumus eas lectoribus inuidere. Inſcriptionem ergo et clauſulam exhibemus. Illa ita fuit expreſſa: *dominis et in chriſto reuerendiſſimis fratribus Galliæ atque Aquitaniæ atque Auſtriæ cunctis ſacerdotibus, nos indigni Spaniæ præſules et ceteri fideles in domino æternam ſalutem. Amen.* Clauſula hæc eſt: *poſcentes almitudinem veſtram, vt ſicut vnius chriſti vexillo præſignati ſumus, ita pacem illam, quam ipſe commendauit ſuis diſcipulis, intemerato iure ſeruemus; ſi quid vero aliter veſtra prudentia ſenſerit, reciprocatus veſtri ſermo ſocordiam noſtram*

q) *loco cit.* p. 557. Vt lectores intelligant, quam turpis ſit negligentia FLORI, de qua conquerimur, audiant eius teſtimonium, de argumentis harum litterarum: *en eſta carta propoſuieron todos los que ſuzgaban; fundamentos para esfortar ſu empenno de adopcion.* His argumentis eo minus caremus, quo magis intereſt, ſcire, num patres Francofurtenſes, qui contra hæc argumenta pugnarunt, eorum ſenſum et vim adſequuti ſint; nec ne? Nec valet apud nos, qua vſus eſt FLORVS, excuſatio, eadem argumenta in epiſtola ELIPANDI ad ALCVINVM, de qua poſtea dicemus, repeti. Satius fuiſſet, eum hanc omiſiſſe, editam a DVCHESNIO; quam illam ἀνέκδοτον. At ſuſpicamur, FLORVM religioni habuiſſe, edere ſcripta, quæ hæreſeos nota ipſi videntur infamia.

ſtram enubilet: et lux veritatis, radio veri dogmatis, abdita pectoris noſtri perluſtret, vt dilectio chriſti in nobis rite perſeueret; vt quos vbertas chriſti fœcundat, terræ ſpatium nullo modo diuidat. Hæc certe fragmenta ſpiritus hæreticorum non redolent; ſed declarare videntur animum, ad audiendas aliorum exhortationes promtum, nosque excitant, vt integram epiſtolam aliquando legendi expetamus facultatem.

XXVII.

ATQVI his, quæ ante oculos lectorum poſita ſunt, teſtimoniis ſtare nos oportet: ſi varias, quæ ad hunc locum ſpectant, quæſtiones adcurate definire velimus. Prima ſit de tempore, quo Carolus præſulum ſacrorum coegit Francofurti conuentum. De anno vix licet dubitari, recte definiri nonageſimum quartum ſeculi noni. Conſentiunt de hac re hiſtorici; ii vero, qui proximum ab eo ſignificare videntur, iniuriæ quid a librariis acceperunt. Recentiorum ſcriptorum, qui eodem capti ſunt errore, SIEGEBERTI *Gemblacenſis*, CONRADI *Vrſpergenſis*, VINCENTII *Bellouacenſis*, HENRICI MVTII hisque ſimilium, non tanta eſt auctoritas, vt nos in partes eorum trahi patiamur. *Inſcriptionis ſacroſyllabi*, quam recitauimus, auctor, cuiuscumque ſit ætatis, ac *Anianenſis* hiſtoricus et ipſi concilii Francofordienſes [r]) rectiorem ſententiam confirmarunt, quum anno regni Caroli

r) *Canon.* I.

li XXVI rem contigiſſe, monent. Eum enim ann. ICCLXVIII cœpiſſe Francis imperare, non ſolum inter omnes conuenit; ſed ſupra etiam nos monere meminimus. Conuentum hunc poſt paſchatis feſtos dies inſtitutum fuiſſe, diſcimus ex annalibus *Loiſelianis* et *Metenſibus*. Paullo adcuratius *ætatis initium* commemorant annalium EGINHARDI et *Sandionyſianorum* auctores; neque ab his diſcrepat *Moiſſiacenſis*, qui *æſtiuo tempore* coactum fuiſſe concilium, prodidit. Ante XX diem iulii celebratum, eleganter collegerunt viri celeberrimi, IO. FRANC. MADRISIVS [s]) et IO. DOMINIC. MANSIVS [t]) ex diplomate Caroli, conceſſo Aniano, abbati Caunenſi, ſcriptoque d. XIII *Kal. Auguſti ann.* XXVI et XX *regni eius*, huius Italici, illius Francici [u]). Patet enim ex illo, Anianum interfuiſſe concilio, hasque litteras a Carolo præſentem impetraſſe. Addo, veritati mihi videri ſimile, eas exaratas fuiſſe, poſtquam conuentus eſſent finiti.

XXVIII.

DE vrbe Francofurtenſi, quæ huius concilii

s) *vit. Paullini cap.* VII §. I p. 26.

t) not. *in Baron. annal. tom.* XIII p. 272. adde EIVSDEM *ſupplem. conc. tom.* I p. 731.

u) edito a STEPH. BALVZIO *capitul. reg. Franc. tom* II p. 1399. IO. MABILLONIO *de re diplom. libr.* VI p. 503. IO. FRANC. MADRISIO in *adpend.* II *oper. Paullini* p. 252. et CLAVDIO DE VIC ac IOS. DE VAISSETTE in *hiſtoir. de Languedoc tom.* I p. 28 *document.*

cilii memoria illuſtratur, nihil dicere animus eſt. Neminem enim, meminimus, auſum fuiſſe, contradicere conſentientibus inter ſe annalium ſcriptoribus ac monimentis, in quibus celebratur eius nomen, tot aliis ornamentis conſpicuum. PAVLLINI verba: *cunctis in aula ſacri palatii reſidentibus*, maiori iure notari debent. Teſtantur enim, fuiſſe Francofurti Carolo palatium, cuius in diplomatibus paſſim fieri mentionem, IO. MABILLONIVS [x]) recte monuit. Quinam conuentui noſtro interfuerint, breuiter diſpiciendum. Tercentos ibi adfuiſſe præſules, CÆSAR BARONIVS [y]) ſcripſit, nec ſolum LAVR. SVRIVM aliosque huius generis homines, ſed etiam, GVIL. CAVEVM [z]), IO. ANDR. SCHMIDIVM [a]) ceterosque, ſi qui ſunt, vt idem repeterent, ad id adduxit, licet nulla ſuperſint monimenta, quorum auctoritate coniectura hæc, ne quid peius dicamus, queat confirmari. Quod ſi duces noſtros ſequi licet, quos, nefas putamus, non ſequi, certum eſt, Carolum magnum ad celebrandum concilium euocaſſe antiſtites ſacrorum, poteſtati eius ſubiectorum, hoc eſt, qui in Germania, Gallia ac prouinciis Italiæ, ſiue potius regni Longobardici chriſtianæ ciuitati præerant. CAROLVS

x) de *re diplomat. libr.* IV p. 283.

y) *annal. eccleſ. ann.* IↃCCXCIV §. 13.

z) *hiſtor. litter. ſcriptor. Eccleſiaſtic. tom.* I p. 652.

a) *introd. in hiſtor. eccleſ. tom.* II p. 1068.

LVS ait: *ex omnibus vndique noſtræ ditionis ecclesiis*: *Loiſelianus*, *Fuldenſis* ac *Metenſis* Gallos, Germanos et Italos nominant: epiſcopi Germaniæ et Galliæ, his addunt Aquitanos; nec male, quia Aquitaniæ regnum iſta tempeſtate cenſebatur, a Gallia reliqua disiunctum: *Moiſſiacenſis* denique et *Anianenſis* epiſcopos Gothiæ et Galliciæ adiungunt, hoc eſt, Hiſpaniæ prouinciarum, quas Carolo paruiſſe, iam dixi. De Italis nominatim agens PAVLLINVS enumerat prouincias, *Liguriam*, *Auſtriam* [b]), *Heſperiam* [c]), *Aemiliam* [d]). Præter hos CAROLVS, ſe ex Brittannia viros doctos accerſiſſe, tradit. Hæc de Brittannia transmarina, fortunatiſſima Europæ inſula, interpretatur IO. MABILLONIVS [e]). Num quisquam ſecus ſenſerit, vix credere poſſum. At longius progredi nobis licet ac clariſſima nonnullorum recitare nomina, quos ſcimus in concilio Francofurtenſi fuiſſe præſentes. De Carolo quidem legatisque præſulis Romani poſtea dicemus. Principem ſine dubio locum tribuimus ALCVINO et PAVLLINO *Aquileienſi*. Quid hic de ſe ipſo reliquerit litteris

 conſigna-

b) conf. IO. FRANC. BERN. MAR. DE RVBEIS *monim. eccleſ. Aquilei. cap.* XLII §. 2 p. 365.

c) de *Heſperia* docte diſputauit MADRISIVS *not. in Paullini ſacroſyllab.* p. 9.

d) nemo elegantius de hoc PAVLLINI loco diſſerit COINTIO *annal. eccleſ. Francor. tom.* IV p. 504.

e) *annal. ord. Bened. tom.* II p. 311.

conſignatum, iam notauimus f). ALCVINVM CAROLVS noluit ab his conuentibus abeſſe. Loquitur hanc in rem canon concilii vltimus g): *commonuit etiam, vt Alcuinum ipſa ſancta ſynodus in ſuo conſortio; ſiue in orationibus recipere dignaretur, eo quod eſſet vir in eccleſiaſticis doctrinis eruditus. Omnis namque ſynodus ſecundum admonitionem domini regis conſenſit et eum in eorum conſortio; ſiue in orationibus receperunt.* Parum abeſt, quin mihi perſuadeam, ALCVINVM fortaſſe ſolum fuiſſe Anglum inter patres concilii, hosque dubitaſſe, eum ſuo numero adiungere, quod nec Germanus; nec Gallus; nec Italus eſſet, hincque opus fuiſſe CAROLI exhortatione, ALCVINO perquam honorifica. His adiungi oportet ex Paullino et nonnullis aliis, PETRVM, ſiue potius PETRVM OLDRADVM, qui iſta ætate Mediolanenſium ſacra gubernabat h): ex *Anianenſi* hiſtorico BENEDICTVM *Anianenſem* i) eiusque ſocios, ARDONEM, ſiue SMARAGDVM k), IVGILAM, ANNONEM, RABANVM, GEORGIVM: deinde ex diplomate Caunenſi l), itidem commemora-

f) vid. MADRISIVM *vit. Paullin.* p. 26.

g) vid. HARDVINI *concil. tom* IV p. 909.

h) de Petro hoc vide ſcriptores laudatos a PHILIPPO ARGELATIO in *biblioth. ſcriptor. mediolan. tom.* II p. 1005.

i) de Benedicto poſt multos alios copioſe differunt ſcriptores *hiſtor. litter. Gall. tom.* IV p. 447.

k) conſulas eosdem *loc. cit.* p. 439 ſqq.

l) vid. *Galliam chriſtian. tom.* VI p. 255.

morato, ANIANVM abbatem, CONTINVVM STROMVNDVM, LVRIVM. Contra ea IO. MARIANA [m]) ſine cauſſa BEATVM atque ETHERIVM, iam laudatos a nobis, concilio Francofurtenſi interfuiſſe ſcripſit, a NIC. ANTONIO [n]) et IAC. BASNAGIO [o]) merito reprehenſus.

XXVIIII.

QVIS locus Carolo fuerit, neminem puto ignorare, qui animo attento et partium ſtudiis liberato expenderit excitata veterum teſtimonia. Ipſe conuocauit antiſtites eosque iuſſit connuenire et de rebus, illic proponendis, deliberare. Quum congregati eſſent, non ſolum interfuit conſeſſibus; ſed potius illis præfuit: ſententias rogauit; decreta fieri iuſſit omniaque præſidis conciliorum peregit officia. Per omne, quod cuiuis cariſſimum eſſe debet, obteſtatus eſt eum ELIPANDVS, vt ſederet ARBITER. His precibus ſe ſatisfeciſſe, teſtatur CAROLVS: *ecce ego*, inquit, *veſtris petitionibus ſatisfaciens, congregationi ſaderdotum auditor et* ARBITER *adſedi.* PAVLLINVS eiusque collegæ, ſe *decreto imperii* CAROLI conuocatos eſſe eiusque *ſacris mandatis obtemperaſſe*, ſcribunt. Idem ſeruauit nobis formulam, qua CAROLVS vſus, ſententias rogandi. *Quid vobis videtur?* quæſiuit CAROLVS præſes concilii. Epiſcopi Germaniæ Galliæque,

 Caro-

m) *hiſtor. Hiſp. libr.* VII *cap.* 8.
n) *biblioth. Hiſp. vet. tom.* I p. 324.
o) *theſ. monim. eccleſ. tom.* II *part.* I p. 299.

Carolum adſediſſe, auxiliatum eſſe atque in conſeſſibus dediſſe præcepta, narrant. Num magis luculenta expeti poſſe, putas, teſtimonia; aut noſtræ ſententiæ confirmandæ magis adcommodata? Quæ quum ita ſint, manifeſti erroris arguendi ſunt CÆSAR BARONIVS, LAVR. SVRIVS, ABR. BZOVIVS, IO. MABILLONIVS, aliique, qui Theophylacto ac Stephano, Romani antiſtitis legatis, præſidis dignitatem tribuunt; nec reputant, iniuriam fieri auctoritati CAROLI, quam tanta dignitate obtinuit. Noui, quæ opponi poſſunt. CAROLVM ad Adrianum miſiſſe nuntios, ipſe ad ELIPANDVM perſcripſit; nec tamen neglexit cauſſam addere, cur eos miſerit. Noluit ſibi a pontifice dari facultatem habendi concilium, qua non opus erat; ſed poſtulauit, vt aliorum exemplo Romanus præſul diceret de controuerſia ſententiam. ADONIS teſtimonium, quod ceteris aduerſatur, non tantæ eſt auctoritatis, vt ei ſoli credamus, homini, quem vix iſta ætate ſpiritum ducere cœpiſſe, probabile eſt. Finiuit enim vitam ann. DCCLXXIV. Adhæc parum recedit a veritate, ſcripſiſſe ADONEM cum aliis multis *præſentibus*; vocem vero *præſidentibus* librariis deberi. Legantur hanc in rem, IO. GEORG. DORSCHAEVS [p]), IOANN. TRELLVNDIVS [q]), et FRID. SPANHEMIVS [r]).

XXX.

p) *coll ad concil. Francof.* p. 96.
q) *diſſ. de Felic. Vrgel.* p. 422 edit. VOGTII.
r) *tom.* I *oper.* p. 1309.

XXX.

NON ſatis mirari poſſumus, exſtitiſſe recentiore ætate homines, rerum chriſtianarum ita expertes, vt non dubitarent, concilium Francofurtenſe inter ſynodos vniuerſales numerare, et PAVLLINVM atque HINCMARVM [s]), quorum ille ſynodum *plenarium*, hic *generalem* adpellat, ſui erroris adducerent patronos. Fuit enim concilium *particulare*, habitum a præſulibus regnorum CAROLI magni. Horum vero terminis, licet latiſſime patuerint, omnem chriſtianam ciuitatem fuiſſe circumſcriptam, quis vmquam dixit? Quanam ratione fuerit celebratum, quæue eius fuerit forma, ex annalibus *Moiſſiacenſibus* litteriſque tam *Italorum*; quam *Germanorum* licet colligere. Narrant enim I) *quodam die*, num primo; an altero, non liquet, in concilio fuiſſe Carolum atque in ſella regia, gradibus ſupra alias elata, conſediſſe: II) eumdem iuſſiſſe, recitari litteras ELIPANDI, num vtrasque, quas ille ſcripſit; an ſolam epiſtolam ad antiſtites ſacrorum exaratam, itidem definire non audeo: III) non ſolum rogaſſe præſentium ſententias, ſed etiam haud obſcure ſignificaſſe, ſe opiniones Hiſpanorum habere erroneas: IIII) epiſcopos petiiſſe a Carolo, vt permitteretur illis deliberandi ſpatium V) Hunc precibus ſatisfeciſſe quidem; ſed mandaſſe, vt quisque, quid ſibi videretur, adductis argumentis, litteris conſignaret:

s) *tom.* II *oper.* p. 452.

VI) epiſcopos hero ſuo obſequii officium haud denegaſſe; ſed conſtituto tempore Italos quidem PAVLLINI ſacroſyllabum, quem adprobrauerant; Germanos vero et Gallos ſingularem commentarium, ad confutanda ELIPANDI dogmata compoſitum exhibuiſſe: VII) vtrumque denique monimentum CAROLO placuiſſe atque ab illo in Hiſpaniam miſſum, additis litteris, quibus ad ELIPANDINAS reſponderet. Hæc concilii decreta Adriano, pontifici Romano, fuiſſe transmiſſa; aut ab illo confirmata, nullum exſtat veterum ſcriptorum teſtimonium, licet ſecus ſentire videatur doctiſſimus MADRISIVS[t]).

XXXI.

EX his abunde patet, quænam in concilio Francofurtenſi fuerint de cauſſa ELIPANDI et FELICIS decreta. Nihil ſancitum fuit; niſi doctrinam de adoptione chriſti, ab ELIPANDO propugnatam, eſſe falſam atque aduerſari puriori doctrinæ. Quare fabuloſa ſunt, quæ IOANNES AVENTINVS[u]), recentioris ætatis ſcriptor, ſua laude numquam defraudandus, memoriæ prodidit: *Elipando agnoſcendi errorem venia: itidem Felici data: dignitas ambobus ſeruata.* Quamuis lubentes concedamus, nihil mali de Elipando aut Felice ſtatuiſſe Francofurtenſes; certum tamen eſt, de vtro-

t) p. 219 *oper.* PAVLLINI.

u) *annal. Boior. libr.* IV cap. 5 §. 3 p. 304 edit. GVNDLINGII.

vtroque nullam: de doctrina ſolam fuiſſe inſtitutam diſceptationem. Ignoſcamus *Auentino* leuem culpam: grauius lapſus eſt PLATINA [x]), licet neque is omni careat excuſatione. Scripſit enim, in concilio noſtro *hæreſin Felicianam de imaginibus fuiſſe abrogatam*. At de hoc loco alibi nanciſcemur opportunitatem dicendi. Satis eſt, notaſſe, contradixiſſe illi GABRIELEM VASQVESIVM [y]). At ſeuerius quid in MARIANAM [z]) ſtatuendum eſſe, putamus, propterea quod nimiam rerum extra Hiſpaniam geſtarum, prodidit ignorantiam, quum ſcriberet, Felicem patrum ſententia relegatum eſſe. Hanc enim ſententiam de Felice non Francofurtenſes; ſed Aquisgranenſes ann. DCCLXXXXVIIII tuliſſe, poſthæc monebimus. Reprehendit eum STEPH. BALVZIVS [a]). At finienda eſt noſtra de concilio Francofurtenſi diſputatio, cuius hiſtoriam nemo diligentius perſequutus eſt IOANN. GEORG. DORSCHAEO [b]). Præter hunc aliosque, quos laudauimus, legantur: FRID. SPANHEMIVS [c]), CLAVD. FLEVRY [d]), IO. LE SVEVR [e]), HENR. BVNAVIVS,

x) *rit. pontif.* p. 121.
y) *tom.* III *diſp.* LXXXIX *in Thom.* p. 201.
z) *hiſtor. Hiſpan. libr.* VII *cap.* 8.
a) *not. in Agobard. oper.* p. 7.
b) in *collat. ad concil. Francofurtenſe*, edita Argentorati CIↃIↃCIV.
c) *hiſtor. imagin. tom.* II p. 522.
d) *hiſtor. eccleſ. tom.* IX p. 533 ſqq.
e) *hiſtoir. de l'Egliſe et de l'empire tom.* VI p. 273.

VIVS f), LVD. ANT. MVRATORIVS g) ceterique hiſtoriæ eccleſiaſticæ et Germanicæ ſcriptores.

XXXII.

TEMPORIS rationes, quas ſeruandi lex nobis eſt impoſita, ſuadent hortanturque, vt ad concilium Foroiulienſe accedamus a PAVLLINO, *Aquileienſi* patriarcha, habitum. Exſtant illius *acta*, benigniori fato nobis conſeruata, atque in tres potiſſimum partes diſtribuenda h). *Prima* continet breuem narrationem hiſtoricam orationemque longiorem PAVLLINI ad ſacrorum præſules, Foroiulii congregatos habitam; *ſecunda* fidei ſymbolum, a PAVLLINO compoſitum iisdemque ſedulo commendatum: *tertia* denique canones concilii XIV. Quonam tempore conuentus ille celebratus fuerit, grauiter diſſentiunt viri docti. CAESAR BARONIVS i) definiuit annum IↃCCXCI, nec mirum videtur, BINIVM NATALEMque ALEXANDRVM et CABASSVTIVM hisque ſimiles ei ſuffragatos

f) in *der deutſchen Kaiſer- und Reichshiſtorie tom.* II p. 482 ſqq.

g) in *hiſtor. Ital. tom.* IV p. 468 ſqq. edit. Germanicæ.

h) poſt BINIVM et LABBEVM exhibet ea IO. HARDVINVS *concil. tom.* IIII p. 874 ſqq. elegantius vero deſcripta et BINII ſuisque notis illuſtrata MADRISIVS *oper.* PAVLLINI p. 95 ſqq.

i) *annal. eccleſ.* ann. IↃCCXCI §. 3.

tos eſſe; at IOANN. MABILLONIVM[k]), GVIL. CAVEVM[l]) alioſque, harum rerum iudices peritiſſimos, manifeſtum errorem non deprehendiſſe alioſque ad euitandum illum eſſe exhortatos, magis miramur. CAROLVS LE COINTE[m]) primus ſapuit, licet non omni ex parte veritatem priſtino nitori reſtituerit. Refert concilium ad ann. IↃCCXCV. At vero ANTONIVS PAGIVS[n]) rectam annos in *actis* expreſſos numerandi rationem inuenit et luculenter oſtendit, anno IↃCCXCVI idem concilium eſſe adſcribendum. Eamdem coniecturam erudite comprobauit IO. FRANC. MADRISIVS[o]), qui ſingulari *diſſertatione* de concilii Foroiulienſis hiſtoria diſputauit. Præter hunc LVD. ANT. MVRATORIO[p]) placuit hæc ſententia, digna certe, quæ nemini diſpliceat. Eorum, quæ præter nonnullas ſacras leges, ad diſciplinam pertinentes, ſancita ſunt, duplex eſt genus. Confutantur ac damnantur partim Græci, qui de proceſſione ſpiritus ſancti a patre filioque perperam ſentiunt[q]), partim Adoptiani. De his dubitavit PA-

k) *annal. ord. Bened. tom.* II p. 3171.
l) *hiſtor. litter. ſcriptor. eccleſ. tom.* I p. 651.
m) *annal. Francor. eccleſ. tom.* VI p. 541.
n) *critic. in annal. Baron. loc. cit.* §. 6.
o) *ſecunda* diſſertationum, *operibus* PAVLLINI adiectarum, p. 201.
p) *hiſtor. Ital. tom.* IV p. 478.
q) conf. ven. patris *hiſtor. controuerſ. de proceſſ. ſpiritus ſancti cap.* II §. 2.

PAGIVS, ſed contradixerunt ei laudatus MADRISIVS [r]) et IO. DOM. MANSIVS [s]) nec fieri poteſt, vt ſecus ſentiam. Quamuis enim concedi oporteat, ne nomen quidem FELICIS; aut ELIPANDI expreſſum eſſe; diſputationis tamen, quam PAVLLINVS inſtituit, argumentum nos docet, pugnaſſe eum contra eos, qui filium dei adoptiuum chriſtum eſſe, putabant. Addo nullam videri cauſſam, cur in *ſymbolo fidei* aperte hæc legantur verba de chriſto: *non putatiuus dei filius; ſed verus: non adoptiuus; ſed proprius*, niſi hæc Felici atque Elipando oppoſita eſſe, dixeris. Plura de hoc concilio licet dici queant; abſtinemus tamen ab enarrandis rebus, a propoſito noſtro alienis.

XXXIII.

QVVM de PAVLLINO ac ſummo eius in confutandis adoptianorum dogmatibus ſtudio dici, cœpit, commodam, quam nacti ſumus, nefas eſt, prætermitti occaſionem, commemorandi libros tres *contra Felicem, Vrgellitanum epiſcopum.* Quos quum ex bibliotheca PVTEANORVM primus litterarum formis deſcribendos curauiſſet ANDREAS DVCHESNE [t]), noſtra demum ætate eosdem elegantiſſimo habitu ornatos ac doctis obſeruationibus inſtructos in lucem prodire iuſſit MADRI-

r) *diſſ. de Felic. et Elipand.* p. 221.

s) *not. in Baron. annal. tom.* XIII p. 248. adde DE RVBEIS *monim. eccleſ. Aquit.* p. 366.

t) inter *opera* ALCVINI p. 1761.

DRISIVS [u]), ſi quisquam alius, de PAVLLINO praeclare meritus. Quonam tempore fuerint compoſiti, nemo, praeter eumdem MADRISIVM [v]), definire auſus eſt. Coniectura quam fecit, inter feliciſſimas numerari debet. Notauit haec PAVLLINI verba: *in trecentorum ſexaginta et ſex dierum anni noſtri altitudo conſurgit*, haecque ſignificare monuit annum bisſextilem, quo PAVLLINVS hoc ſcripſerit. Alia ſuppetunt argumenta, ex quibus conficitur libros illos aetate inferiores eſſe concilio Francofurtenſi; ſuperiores vero Aquisgranenſi, habito anno IↃCCXCVIIII. At intra annos ſeculi octaui nonageſimum quartum et nonum nullus fuit bisſextilis, praeter ſextum. Probabile ergo eſt, exaraſſe PAVLLINVM libellum ſuum anno IↃCCXCVI, quem bisſextilem fuiſſe, nemo neſcit. Praemiſit PAVLLINVS illis epiſtolam ad Carolum, ex qua colligitur, eum ad diſputationem hanc ſuſcipiendam commotum fuiſſe *epiſtola* FELICIS ad ALCVINVM, de qua alibi [x]) diximus, a CAROLO ipſi commiſſa. Librorum ſingulorum argumenta curatius percenſere, nimis longum foret. Satis eſt, notaſſe, vti cum diſputandi genere ſubtili ac ſpinoſo: rem ipſam a prima fere omnium haereſi ordiri: multa nominatim de Eutychis et Neſtorii erroribus, ſibi inter ſe oppoſitis, adferre: argumenta repetere ex ora-

u) *oper.* PAVLLINI p. 95.
v) in *praefatione* p. 97.
x) vid. §. XVIII.

oraculis diuinis, male intellectis ac patrum teſtimoniis, raro propoſitæ quæſtioni adcommodatis: vt Felicem eadem cum Neſtorio ſtatuere, oſtendat, omni opera eniti: genus denique dicendi eſſe turgidum, ſubobſcurum, nec ſolœciſmorum labe omni ex parte liberum. Nonnulla vitia æui, quod PAVLLINVS illuſtrauit, culpæ eſſe tribuenda, non negamus; animum vero facilem et benignum et amorem erga errantes a veritate ſi deſideraueris, non video, quomodo excuſari poſſit. Legantur monachi Benedictini Pariſienſes. Quod ſupereſt, non omittendum videtur *fragmentum epiſtolæ* PAVLLINI ad CAROLVM[z]), qua hunc rogauit, vt libellos ad ALCVINVM curaret perferendos.

XXXIIII.

EODEM, quo hæc euenerunt, anno nonnulli concilium ab ELIPANDO conuocatum fuiſſe, narrant. At ſatis eſt nominaſſe commenti auctorem, LVITPRANDVM; ſiue potius nebulonem illum, qui huius nomine turpiter abuſus eſt ad conciliandam *annalibus*, quos conſcripſit, inanibus ac puerilibus nugis confertis, auctoritatem. Hæc vero is ſcripſit[a]) anno æræ Hiſpanicæ DCCXXXIII, chriſtianæ IↃCCXCV. *Elipandus, archiepiſcopus Toletanus, Toleti ſynodum contrahit petitione ſancti regis Caroli magni et hortatu Gumeſindi Tole-*

y) *hiſtoir. lit r. de la Fr. tom.* IV p. 288.
z) p. 168 *oper.*
a) p 415 *oper.* LVITPRANDI.

Toletani, diſcipuli ſui et Lupi, viri Muzarabis, Toletani primarii, XIII die menſis aprilis, die dominico, in die feſto S. Hermenegildi, regis et martyris apud S. Iuſtæ ſecretarium: ad quam conuenerunt multi epiſcopi et abbates, et coram illis dixit Elipandus, ſe ſtare determinationi ſanctæ eccleſiæ Romanæ circa determinationem negotii de adoptione chriſti, in quo deceptus fuit, idque cum lacrymis tam eius; quam aliorum. Peracto concilio egit gratias Elipandus Carolo magno, ſcribitque ſancto pontifici Adriano, qui vehementer gauiſus, illi gratulatur. Alii atque in his chronographus, a IO. TAMAIO [b]) laudatus definiunt ann. DCCXCVI atque addunt *epiſtolam* ARCARICI, epiſcopi Braccarenſis, ad Elipandum gratulationis cauſſa de reditu ad veram doctrinam perſcriptam [c]). Monimentis his licet nonnulli Hiſpani omnem fidem tribuant, noſtro tamen æuo nemo ſapiens dubitat, falſa eſſe ea et conficta. Quare iure ſuo omnia iſta, quæ de concilio Toletano circumferuntur, inter res fabuloſas eſſe reponenda, pronuntiant: NIC. ANTONIVS [d], CAR. LE COINTE [e]) et IO. FRANC. MADRISIVS [f]), vt prætereamus viros illuſtres, ab obſequii erga pontificem Romanum vinculis liberatos.

XXXV.

b) in *martyrol. Hiſp. tom.* III p. 598.
c) conf. LVITPRANDI *oper.* p. 523.
d) *biblioth. Hiſp tom.* I *libr.* 6 *cap.* 2 §. 42.
e) *annal. eccleſ. Franc. tom.* VI p. 729.
f) *diſſ. de hæreſ. Felic.* § 79 ſqq. p. 224.

XXXV.

REDEAMVS ad ALCVINVM, qui conſtanti fortique animo contra Felicem pugnare perrexit. Hunc ſingulari libello ſuas opiniones defendiſſe eumque ad ALCVINVM transmiſiſſe eumque ad confutandum iſtum prouocaſſe, ſupra nos dicere, meminimus g). Nihil etiam omiſit ALCVINVS, quod eo ſpectaret, vt ſatisfaceret exſpectationi; ſed vaſtum opus contra FELICEM litteris conſignare cœpit. Antequam abſoluiſſet, quem ſuſceperat, laborem, ſcripſiſſe videtur I) *epiſtolam ad* ELIPANDVM, noſtris laudibus haud indignam h). Non eſt nimis copioſa ſtiloque, pro temporis ratione, ſatis eleganti conſcripta. Prædicari inprimis, oportet, animi moderationem et a conuitiis abſtinentiam, chriſtiano doctore adprime dignam. Quid ad eam reſponderit ELIPANDVS, poſtea explicabimus: II) *litteras ad abbates et monachos Gothiæ*, id eſt, Hiſpaniæ, editas primum a STEPH. BALVZIO i), deinde a IOS. SAENTZ AGVIRRIO k), denique a IO. FRANC. MADRISIO l), In illa breuiter tradit doctrinam de perſona chriſti, monachosque admonet, vt eam puram conſeruent, ſeque *maius opus* componere, ſignificat. Non eſt, cur dubitemus, capienda hæc eſſe de libris contra Felicem.

XXXVI.

g) §. XVIII.
h) p. 901 *oper.*
i) *miſcellan. libr.* I p. 377.
k) *concil. Hiſpan. tom.* III p. 118.
l) p. 247 *oper.* PAVLLINI.

XXXVI.

Hos ipſos *contra Felicem libros ſeptem* [m]), quando ALCVINVS conſcripſerit, adcurate licet definire non audeamus; coniectura tamen id adſequimur, vt parum a veritate abeſſe videamur. Certum enim eſt, exaratos eos fuiſſe ante concilium Aquisgranenſe, quo Felix ann. IↃCCXCIX erroribus nuntium miſit. Exſtat etiam hanc in rem ALCVINI ad Carolum *epiſtola* [n]), qua hæc ſcripſit: *iſtum libellum in diſputatione, quæ in veſtra præſentia cum Felice ventilata eſt, præſentem habui*, at ALCVINVS numquam cum Felice præſente, colloquutus eſt; niſi Aquisgrani. Quare non male coniiciunt, qui opus hoc aut ad ann. IↃCCXCVII referunt exemplo IOANN. DE FERRERAS [o]); aut CAR. LE COINTE [p]), ANTON. PAGIVM [q]), GVIL. CAVEVM [r]), Benedictinos Pariſienſes [s]) et IO. FRANC. MADRISIVM [t]) ſequuntur, qui eos ann. IↃCCXCVIII adſcribunt. Breuem librorum contrahere ſummam, quum

m) eosdem perperam antea PAVLLINO adſcriptos, vindicauit ALCVINO ANDR. DVCHESNE *præf. oper. Alcuin.* §. XI eosque edidit p. 282 ſqq.
n) apud STEPH. BALVZIVM *miſcellan. libr.* IIII p. 414.
o) *hiſtoir. d'Eſpagne tom.* II p. 531.
p) *annal. Franc. eccleſ. tom* VI p. 642.
q) *critic. in ann. Baron. ann.* IↃCCXCVIII §. 7.
r) *hiſtor. litter. ſcriptor eccleſ. tom.* I p. 637.
s) *hiſtoir. litter. de la Fr. tom.* IV p. 311.
t) *diſſert.* laudata §. LIV.

quum nimis longum foret; nec multum haberet vtilitatis, ablegare nobis liceat eos, qui iſtam cupiunt, ad REMIG. CEILLERIVM [u]) et IAC. LONGVEVAL [x]). Hiſtoriæ horum librorum adcuratius cognoſcendæ inſeruiunt nonnullæ ALCVINI epiſtolæ, quas, dubitamus, a nobis loco aptiori poſſe commemorari. *Primum* locum obtinet *præfatio operis*, quam, antea obliuione oppreſſam, STEPH. BALVZIVS [y]) primus in lucem prodire iuſſit. Breuis eſt epiſtola ad Carolum, cui more ſuo Dauidis nomen tribuit ac nihil narrat; quam ſe probaſſe veriorem ſententiam teſtimoniis patrum, HIERONYMI, AVGVSTINI, GREGORII, HILARII, LEONIS, FVLGENTII, AMBROSII, CYRILLI, PETRI *Rauennatis*, BEDAE, GREGORII *Nazianzeni*, ISIDORI et IVVENCI Hiſpanorum, atque eo minus dubitaſſe, his adiungere effata ORIGENIS et CASSIANI, licet haud magna ſit eorum auctoritas; quo iuſtiore exemplorum HIERONYMI et PAVLLI vti queat excuſatione, ſiquidem ille itidem ſæpius ORIGENIS, hic ſcriptorum, ſuperſtitioſo deorum cultui addictorum, loca adduxerit. *Deinde* commemorari oportet *litteras ad Carolum*, quas dedit ALCVINVS, quum mitteret ei libros, FELICI oppoſitos, itidem a STEPH. BALVZIO [z]) et IO. FRANC. MA-

u) *hiſtoir. des auteurs ſacr. et eccleſ. tom.* XVIII p. 301 ſqq.
x) *hiſtoir. de l'egliſe Gallicane tom.* VI p. 36.
y) *miſcellan. libr.* IIII p. 417.
z) *loc. cit.* p. 413.

MADRISIO[a]) editas. Harum, intereſt noſtra, recitari aliquam partem: *veſtra vero nulli contemnenda auctoritas*, inquit, *noſtræ deuotioni mandauit, contra nouas hæreticæ prauitatis inuentiones aliquid ſcribere atque libello reſpondere, quem contra nos Felix quidam epiſcopus veſtræ direxit auctoritati: in quo multa inueniuntur, non catholico ſtylo exarata; ſed contra veritatem apoſtolicæ fidei inaniter deſudata. Cui labori veſtræ magis pietatis iuſſione animatus; quam propriæ confiſus peritiæ iuuamine, lubenter ſuccubui.* Paucis interpoſitis, addit: *iſtum libellum in diſputatione, quæ in veſtra veneranda præſentia cum Felice ventilata eſt, præſentem habui.* Hæc docent, litteras has ſcriptas eſſe poſt concilium Aquisgranenſe. *Sed quia*, pergit, *nec adhuc ante veſtram prælectus eſt ſapientiam, nec a vobis, cui maxime ſudauit, comprobatus, ratum duxi publicis non efferri auribus. Nunc vero veſtra videat auctoritas, quid fieri de eo velit. Tantum deprecor, vt nullatenus prius vel abiiciatur, vel in publicum proferatur, quam totus inter familiares perſonas veſtræ auctoritatis examini perlegatur.* Rogauit ergo ALCVINVS, vt libri contra Felicem peritorum hominum iudicio committerentur, antequam publici iuris fierent. Nec repugnaſſe CAROLVM; ſed ſatisfeciſſe voluntati ALCVINI laudibus certe ſummis haud indignæ, *tertia* teſtatur denique epiſtola, a

a) p. 248 *oper.* PAVLLINI.

CHESNIO [b]) edita atque a MADRISIO [c]) repetita. Hoc enim eius eſt initium: *gratias agimus venerandæ pietati veſtræ, quod libellum, ſecundum veſtræ iuſſionis præceptum vobis directum, auribus ſapientiæ veſtræ recitari feciſtis et quod notari iuſſiſtis errata illius et remiſiſtis ad corrigendum.* In eadem epiſtola de libro Felicis contra Saracenos nonnulla habet, quæ a loco noſtro ſunt aliena.

XXXVII.

NOLVMVS ſeparare ac diuellere, arctiſſimo amicitiæ vinculo, quum viuerent, coniunctos, ALCVINVM et BENEDICTVM *Anianenſem.* Hic non minorem illo ad confutandas adoptianorum opiniones adhibuit. Qui *vitam Benedicti* litteris conſignauit, hac de re ita teſtatus eſt [d]): *quum pene prouinciam illam,* nempe Septimaniam, *eodem tempore peruerſum Felicianum dogma inuaſerit, hic ab omni peſtifero perfidiæ errore illæſus, ope diuina intus euaſit multosque non ſolum inferiorum; verum etiam præſules eccleſiæ ſuo eripuit ſtudio et aduerſus nefandum dogma veris diſputationum iaculis armatus, ſæpe congreſſus eſt.* Eamdem ob cauſſam multis laudibus eum exornarunt CAROLVS LE COINTE *e*) et IOANN. MABILLONIVS *f*). Exſtant quatuor opuſcula, quæ ad hunc

b) *epiſt.* XV p. 1510 *oper.* ALCVINI.

c) *loc. cit.* p. 245.

d) vid. MABILLONII *act. ſanctor. ord. Benedict.* *tom.* IV *part* I p. 198.

e) *annal. eccleſ. Franc. tom.* VI p. 622.

f) *loc. cit.* p. 738.

hunc locum ſpectant, a STEPH. BALVZIO [g]) iunctim in lucem emiſſa noſtroque BENEDICTO adtributa. *Primi* [h]) hæc eſt inſcriptio: *teſtimoniorum nubecula de incarnatione domini, et de ſancta atque indiuidua trinitate et iterationis baptiſmi deuitanda pernicie.* Oppoſita hæc eſſe dogmati FELICIS, facile patet; hac tamen lege, vt ſimul Arianorum nugas confutent doctrinamque veriorem, et filium dei; et ſanctiſſimum ſpiritum recte haberi deum, confirmet. *Secundum* locum tenet *diſputatio aduerſus Felicianam impietatem* [i]), ita inſtituta, vt auctor eius ſententiam FELICIS cum errore ARII vno eodemque loco haberet: *tertium epiſtola ad Guarnarium* [k]), ſcribarum vitio deprauata ac temporum iniuria ita corrupta et mutilata, vt de illius argumento nequeat certi quid definiri: *quartum* denique *confeſſio fidei* [l]), quæ precum formam præ ſe fert, et quid de ſanctiſſima trinitate recte ſtatuendum credendumque ſit, exponit. Ex quo hæc opuſcula lucem viderunt, diſceptarunt viri docti, quisnam eorum ſit auctor. IOANNES quidem MABILLONIVS [m]) dubitauit, bene eos iudicare, qui a BENEDICTO *Anianenſi* illa profecta eſſe, autumant, pro-

M 3 pterea

g) *miſcellan. libr.* V.
h) p. 1.
i) p. 30.
k) p. 51.
l) p. 63.
m) *annal. ordinis Bened.* tom. II. p. 327.

pterea quod *leuitæ*, id eſt, *diaconi* nomen tribuat auctori titulus, noſter vero iam tum ſacerdotis dignitate fuerit ornatus. At leuis momenti hanc eſſe argumentationem, quisque videt. Quare contradixerunt MABILLONIO, ſodales eius Pariſienſes [n]) et REMIGIVS CEILLERIVS [o]), nullamque cauſſam pronuntiarunt eſſe, cur negemus, ſcripſiſſe hoc BENEDICTVM, cuius ſtudia aduerſus FELIGEM pugnandi, annales poſteritati commendant. Eidem opinioni eo lubentius ſubſcribimus, quum CASIMIRVM OVDINVM [p]), et poſt eum IO. ALB. FABRICIVM [q]) obſeruaſſe cognouimus, in nonnullis libris manu exaratis apertis verbis BENEDICTI *Anianenſis* nomen eſſe expreſſum. Hæc, ſi ita ſunt, res ſupra omnem dubitationem poſita eſſe videtur.

XXXVIII.

AD annum ſeculi octaui nonageſimum octauum CAROLVS LE COINTE [r]) retulit litteras ALCVINI ad *fratres Lugdunenſes* [s]), in quibus eos exhortatur, vt a triplici errore Hiſpanorum auocent mentem. Primo loco ponit doctrinam adoptianorum. Quamuis nulla

n) *hiſtoir. litter. de la Fr. Tom.* IV p. 453.

o) *hiſtoir. des auteurs ſacres et eccleſiaſt. tom.* XVIII p. 436.

p) *comment. de ſcript. eccleſ. tom* I p. 1915.

q) *biblioth. Latin med. et inf. ætat, vol.* I p. 553.

r) *loc cit.* p 654.

s) *epiſtol.* LXIX p. 1557 *oper.*

la fiat ELIPANDI; aut FELICIS mentio, nemo tamen non intelligit, contra hos iſta dicta. Cetera ad noſtram quæſtionem non pertinent.

XXXVIIII.

DELATI igitur ſumus in annum ſeculi octaui vltimum, quo multa in cauſſa Feliciana geſta ſunt. Primum locum obtinet concilium Romanum, de quo pauca ad noſtram memoriam peruenerunt. LEONEM III, qui Romana ſacra gubernauit, habuiſſe præſulum conuentum ac tuliſſe de controuerſia FELICIS ſententiam, vnicus fere teſtis eſt ipſe FELIX[t]), cuius hæc ſunt verba: *Synodus nuper in Roma hac intentione, præcipiente glorioſiſſimo ac piiſſimo domino noſtro Carolo, aduerſus epiſtolam meam, quam dudum venerabili viro, Albino abbati Turonenſis eccleſiæ, ſcripſeram, congregata eſt. In qua ſynodo præſente Leone apoſtolico et cum eo ceteri epiſcopi, numero quinquaginta ſeptem reſidentes et plerique presbyteri ac diaconi cum eis in domo beatiſſimi Petri apoſtoli: per quorum omnium auctoritatem iſtas iam dictas ſententias noſtras, non qualibet, vt dictum eſt, violentia; ſed ratione veritatis, vt oportuit, excluſerunt.* Nec dubium eſt, de eodem concilio capiendum eſſe effatum ſcriptoris, qui annales PAVLLI *diaconi* continuauit: *contra quam hæreſim Leo tertius papa congregata Romæ ſynodo multis eam euangeliorum et ſancto-*

 rum

t) in *confeſſ. fidei* apud IO. HARDVINVM *concil. tom.* IIII p. 930.

rum patrum teſtimoniis in perpetuum damnauit. Maximam vero rei lucem fragmenta nonnulla, quæ IAC. SIRMONDVS *u*) primus in lucem publicam produxit, ex ſchedis Pithœanis deſcripta. Mutila quidem ſunt, confirmant tamen ea, quæ FELIX ipſe narrauit. Quum enarratum eſſet, nec Ratisbonenſis, nec Francofordienſis conciliorum, neque Adriani pontificis auctoritatem tantum apud FELICEM valuiſſe, vt conſtanti animo ad amplectendam veram ſententiam rediret, conqueritur LEO, numerum ſectatorum eius in dies augeri hancque eſſe cauſſam, cur conuentum coegerit. Memorat FELICIS ad ALCVINVM epiſtolam, eumque hac formula condemnat: *Felici Orgellitanæ eccleſiæ epiſcopo, ſi noluerit declinare ab hæretico dogmate ſuo, in quo auſus eſt filium Dei adoptiuum adſerere, anathema ſit atque ante tribunal dei omnipotentis condemnatus, ſeu a ſancta et apoſtolica dei eccleſia extorris noſtroque conſortio alienus.* Plura concilii monimenta non exſtant; hæc tamen; niſi fallunt me omnia, ſufficiunt ad intelligendas veras illius rationes. Certum enim eſt, congregatos fuiſſe Romæ nonnullos ſacrorum antiſtites a LEONE III ac *præcipiente Carolo.* Hoc FELICIS dictum ſedulo commendauit LVD. ANT. MV-

u) *concil. Gall. tom.* II p. 224. adde *collect. reg. concil. tom.* XX p. 262. PHIL. LABBEI *concil. tom.* VII p. 1150. IOS. SAENTZ AGVIRRII *concil. Hiſpan. tom.* III p. 114 et IO. HARDVINI *concil. tom.* IV p. 927.

MVRATORIVS [x]). Diſceptatum fuiſſe, probabile eſt, de doctrina Felicis eamque reiectam atque confutatam, adiunctis opinionis contrariæ argumentis. Quonam autem anno Romanum hoc concilium celebratum fuerit, viri docti diſſentiunt. Plerique putant, contigiſſe id anno IↃCCXCIX, nec negare poſſum, vnicum huius ſententiæ præſidium in voce *nuper* eſſe poſitum, quo FELIX ſub finem eiusdem anni vſus eſt. Inter alios ei addictus fuit CAROLVS LE COINTE [y]), ac prudenter monuit, ad anni initium concilium eſſe referendum, propterea quod LEO menſe aprili ex vrbe diſceſſerit, triſtiora fata expertus, quæ alibi meminimus a nobis [z]) diligentius exponi; neque ante decembrem redierit. Subſcripſerunt huic coniecturæ ANT. PAGIVS [a]), IAC BASNAGIVS [b]), IO. FRANC. MADRISIVS [c]) aliique. Neque alienus ab illa eſt, ſi anni numerum conſideres, IOANN. FERRERAS [d]); humani vero quid paſſus eſt, quum poſt Aquisgranenſe Romanum celebratum fuiſſe, ſibi perſuaderet ac perturbaret temporis rationes, a FELICE ſatis adcurate inter ſe diſtinctas.

x) *hiſtor. Ital. tom.* IIII p. 468.
y) *loco cit.* p. 682.
z) *diſſ. de miſſis dominicis, pontificis Romani iudicibus* §. XVI.
a) *critic. in annal. Baron. tom.* XIII p. 350.
b) *theſ monim. eccleſ. tom.* II *part.* I p. 294.
c) *diſſertatione*, ſæpius laudata p. 221.
d) *hiſtor. Hiſpan. tom.* II p. 545.

ſtinctas. Dubitarunt vero de huius ſententiae veritate docti viri, *qui hiſtoriam Galliae litterariam* conſcripſerunt *e*) ac maluerunt, referri hoc concilium ad initia Leonis III, qui ann. DCCXCVI in locum Adriani ſucceſſit. Quod ſi vera fateri libet, certum eſt, controuerſiae componendae nullam excogitari poſſe viam; niſi adcurate definiatur vocis *nuper* ſignificandi vis, a FELICE ei tributa. At, quis, quaeſo, tanta valeat diuinandi arte, vt tam obſcura tamque remota a noſtra memoria conjectura feliciter ſibi ſumat explicare? Quare prudentiae leges nobis ſuadent, vt a ferendo hac de re iudicio libentes abſtineamus. Praeter viros doctos, laudatos a nobis, diligenter de hoc concilio commentatus eſt ven. IO. GOTTLIEB FABER *f*).

XXXX.

CERTIORA ſunt, quae de legatis Caroli magni, Vrgellam miſſis, nunc dicenda ſunt. Haec quidem nequaquam carent omni difficultate, et quo minor eſt monimentorum, quibus rei huius memoria conſeruatur, numerus; eo magis arduum eſt, certi quid definire. Vt omnia recte intelligantur, neceſſe eſt, vt effata, quorum auctoritate nos vti oportet, ante lectorum oculos ponantur et diligentius inter ſe comparentur. Maximum momentum habet ALCVINI *epiſtola*, quae libellis illius, aduerſus ELIPANDVM ſcriptis, ſolet praefigi.

e) *tom.* IV p. 430.
f) *diſſ. de Leone* III §. VI.

gi g). Cuius primo loco notari oportet inſcriptionem, ita expreſſam: *dominis in chriſti caritate venerabilibus atque dilectiſſimis, Laidrado, epiſcopo Lugdunenſi et Nefridio, epiſcopo Narbonenſi, et Benedicto Abbati, ſimulque ſanctiſſimis nobisque valde honorabilibus Gothiæ prouinciæ partibus epiſcopis, abbatibus et fratribus, humillimus ſanctæ eccleſiæ filius Albinus ſalutem.* Ad hos ergo ſcripſit ALCVINVS atque de his accipienda ſunt, quæ, quum de erroribus ELIPANDI verba faceret, ſic pronuntiauit: *per diuinæ ſuffragia pietatis hanc nebuloſam impietatis ſectam clara veritatis luce pridem diſcutere ſtuduiſtis, etiam et deo chriſto donante cæptum prædicationis opus multa ex parte perfeciſtis. Ad cuius piiſſimæ prædicationis venerabile opus, mandante glorioſo principe et deuotiſſimo in omni pietate Carolo rege, vos iterum ituros eſſe audiuimus. Quapropter paucorum arripui laborem dierum in ſolatium ſanctiſſimi itineris veſtri, quatenus in manibus habetis cuiusdam epiſtolæ, meo nomine directæ ab Elipando Tolelano epiſcopo, pias et neceſſarias reſponſiones.* Denique nonnulla his adiici oportet FELICIS verba h): *ad præſentiam domini noſtri ac piiſſimi glorioſique Caroli regis perductus ſum et eius conſpectui præſentatus, licentiam ab eo, ſecundum quod et venerabilis domnus Leidradus epiſcopus nobis in Orgello pollicitus eſt, accepimus, qualiter in eius præſentiam in conſpectu epiſcoporum,*

g) p. 925 *oper.*
h) *confeſſ. fid.* p. 930 edit. HARDVINI.

rum, quos ad ſe ordinatio glorioſi principis noſtri conuenire fecerat, ſententias noſtras, quas ex libris ſanctorum habere nos, de adoptione carnis in filio dei; ſeu nuncupatione in humanitate eius, credebamus, repræſentaremus. Quum præter hæc, nulla de itinere iſto conſeruata ſunt documenta, ea, quæ ex his iuſto concludendi modo poſſunt colligi, his potiſſimum ſententiis poſſunt abſolui: I) LEIDRADVM [i]), NEFRIDIVM, BENEDICTVMque, quem eumdem eſſe cum abbate Anianenſi, ſupra a nobis laudato, nulla eſt dubitandi cauſſa, bis in Hiſpaniam eſſe profectos miſſosque a CAROLO: II) vtriusque itineris hanc fuiſſe cauſſam, vt erroribus ELIPANDI et FELICIS reſiſterent ac doctrinam veriorem Hiſpanis diligentius commendarent retinendam: III) quum ſecundum iter legati pararent, dediſſe ad LEIDRADVM, NEFRIDIVM, BENEDICTVM ac præſules Hiſpanos litteras ALCVINVM iisque adieciſſe breuem libellum aduerſus ELIPANDM: IIII) LEIDRADVM denique colloquutum eſſe cum FELICE, eique dediſſe facultatem, adeundi CAROLVM eoque præſente opinionis ſuæ enarrandi rationes. Plura enarrari, ego quidem nequeo percipere. Nunc audiamus, quid alii viri docti

i) de hoc vide *Galliam chriſtianam tom.* IV p. 52 *hiſtoir. litter. de la France tom.* IV p. 433 et REMIG. CEILLER. *hiſtoir. des auteurs ſacres et eccleſiaſtiques tom.* XVIII p. 419 ſqq. Omnes illi de NEFRIDIO etiam agunt.

cti hac de re ſentiant. Plerique omnia iſta facta ita iubent ordinari. Quum extra dubitationem poſitum eſſe, putant, ALCVINVM verba: *paucorum dierum laborem*, de binis, qui exſtant, ſuis aduerſus ELIPANDVM libris dixiſſe; hos vero ſcriptos eſſe, poſtquam FELIX in concilio Aquisgranenſi ad ſaniorem mentem rediit, nemo ſapiens negauerit, concludunt, ſecundam legationem factam eſſe poſt concilium Aquisgranenſe, id eſt ann. DCCC, priorem vero ann. DCCXCIX breui ſpatio ante eumdem præſulum conuentum. Addunt porro, quum primum iter inſtituiſſent, coactum fuiſſe Vrgellæ ſynodum ſacram: quam primus finxit PETRVS DE MARCA [k]) ac ceteri omnes magno conſenſu admittunt, licet in cunctis, quæ ſuperſunt, hiſtoriarum monimentis ne vnum quidem verbum de Vrgellitano concilio fiat. Neque argumenta, quæ a priori repeti dicunt philoſophi, ad explicandas huius generis quæſtiones quidquam valent. Iisdem enim rationibus, quibus MARCA vſus eſt, effici poſſet, vt Vrgellis concilium ſub initiis, non ſub fine huius litis habita ſit. Quare ſi vera fateri libet, quidquid de concilio Vrgellitano circumfertur, inter commenta resque fictas recte, arbitror, numerari. Nihilominus hanc, quam adhuc expoſui, de vtroque legatorum CAROLI in Hiſpaniam itinere, ſententiam adprobarunt:

CAR.

k) de *marc. Hiſpan. libr.* III *cap.* 12 §. 5 p. 268. adde BALVZIVM *not. in Agobard.* p. 12.

CAR. LE COINTE [l]), IOANN. MABILLONIVS [m]), ANT. PAGIVS [n]), IOANN. FERRERAS [o]) aliique. In alia omnia, ſi a concilii fabula diſceſſeris, abeundum ſibi eſſe; putauit IO. FRANC. MADRISIVS [p]). Concedit vtramque profectionem; ſed negat, poſteriorem poſt concilium Aquisgranenſe ſuſceptam fuiſſe: vtramque illud anteceſſiſſe, contendit: *laborem paucorum dierum* cum duobus libris ALCVINI eumdem eſſe, negat: primum iter, quod ALCVINVS ſubobſcure innuat, credit, haud diuerſum eſſe a profectione BENEDICTI in Hiſpaniam, cuius in *epiſtola*, ad abbates et monachos Gothiæ ſcripta, nobisque iam laudata, meminerit: hinc eam longo tempore ante concilium Aquisgranenſe, ſaltem ann. DCXCVI vel XCVII fuiſſe factam. Varia adfert ſuæ coniecturæ argumenta, quibus licet non omnibus inſit idem pondus, ſufficiunt tamen ad conciliandam ei maiorem veritatis ſpeciem, quam communis opinionis eſt.

XXXXI.

QVOQVO modo res ſeſe habeat, id certum eſt, eodem anno FELICEM Aquisgrani ad Carolum accedendi nactum eſſe facultatem ac coram rege et antiſtitibus ſacrorum, ibi congrega-

l) *annal. eccleſ. Fran. tom.* VI p. 693.
m) *annal. ord. Bened. tom.* II p. 335.
n) *critic. in annal Baron. tom.* XIII p. 311.
o) *hiſtoir d'Eſpagne tom.* II p. 535.
p) *laudat. diſſ.* §. LXII ſqq.

gregatis, non ſolum declaraſſe, ſe ad mutandam ſuam ſententiam eſſe commotum, eamque reieciſſe et condemnaſſe; verum etiam exilii pœna adfectum ac Lugdunum relegatum fuiſſe. Quum hæc nulla vberiore diſquiſitione egent, ſatis erit, recitare priſcorum ſcriptorum teſtimonia, quibus iſtarum rerum memoria fuit conſeruata atque ad nos transmiſſa. Primus, quem excitare nobis licet, teſtis ſit FELIX ipſe q): *quod ita factum eſt*, inquit, *nam prolatas a nobis ſententias de ſuperdicta contentione, hoc eſt, de adoptione carnis atque nuncupatione; ita illi ex auctoritate de libris ſanctorum patrum, id eſt, Cyrilli epiſcopi et beati Gregorii papæ vrbis Romæ, ſeu beati Leonis, ſiue et aliorum ſanctorum patrum, qui nobis prius incogniti erant; ſeu per auctoritatem ſynodi, quæ nuper in Roma hac intentione, præcipiente glorioſiſſimo ac piiſſimo domino noſtro Carolo, aduerſus epiſtolam meam, quam dudum venerabili viro, Albino, abbati Turonenſis eccleſiæ ſcripſeram, congregata eſt, in qua ſynodo, præſente Leone apoſtolico, et cum eo ceteri epiſcopi, numero quinquaginta ſeptem reſidentes et plerique presbyteri ac diaconi cum eis in domo beatiſſimi Petri apoſtoli: per quorum omnium auctoritatem iſtas iam dictas ſententias noſtras, non qualibet, vti dictum eſt, violentia; ſed ratione veritatis, vti oportuit, excluſerunt. Quorum auctoritate veritatis et totius eccleſiæ vniuerſalis conſenſu, conuicti, ad vniuerſalem eccle-*

q) *confeſſ. fid.* p. 930 *tom.* IV *concil.* HARDVINI.

eccleſiam, deo fauente, ex toto corde noſtro reuerſi ſumus, non qualibet ſimulatione; ſeu velamine falſitatis, ſicut dudum, quod deus ſcit; ſed vt dixi, vera cordis credulitate et oris profeſſione. Quod etiam in conſpectu multorum ſacerdotum et monachorum profeſſi ſumus, cetera. Addimus ALCVINVM, qui et anni numerum, et loci nomen expreſſit omniaque diligentius enarrauit: Ait enim: *ſed et idem Felix anno præfati glorioſi principis triceſimo ſecundo aduocatus voluntarie veniens ad Aquis Palatium ibique in præſentia domini regis et optimatum illius; ſiue ſacerdotum dei rationabiliter auditus et veraciter conuictus atque deo dans gloriam veramque confeſſus fidem, in pacem catholicæ vnanimitatis reuerſus eſt cum ſuis diſcipulis, qui ibi tunc temporis erant præſentes* [r]). His lucem adferunt perinde ac ipſa illuſtrantur, quæ ſcriptor *vitæ* ALCVINI [s]) memoriæ prodidit: Carolus, *aduocans Albinum inſtitutorem ſuum Turonis et miſerum Felicem, hæreſis huius adſtructorem, de Hiſpaniæ partibus, congregauit ſynodum magnam epiſcoporum in Aquisgrani imperiali palatio: in quorum ipſe ſedens medio, Felicem, licet valde repugnantem, de natura filii dei ſecundum carnem cum Albino doctiſſimo diſputando rationabiliter confligere iuſſit. Tum quantum epiſcoporum tunc exſtitit ſilentium. O quam clara et inexpugnabilis Caroli cum auctoritate magiſtri ſui*

r) *libr.* I *aduerſ. Elip.* p. 939 *oper.*

s) §. XIII p. 153 edit. MABILLONII *tom.* IV *part.* I *act. ſanctor. ord. Benedictin.*

ſui fidei confeſſio atque defenſio! Per plura autem Felix fugiens latibula, plurioribus ab Albino confoſſus eſt ſpiculis, in tantum, vt pene omnes ciuitates Iſrael conſummaret, quousque filius hominis veniret. Nam a ſecunda vsque ad ſeptimam ſabbati parum aliud geſtum eſt. Omnibus denique eius patefacta ſocordia atque ab vniuerſis apoſtolica auctoritate hæreſis confutata, ſoli ſibi latuit deformiter, vsque dum Cyrilli martyris, ab Albino ſibi directa, legit lamentabiliter: ea natura, quæ per diabolum vitiata eſt, ſuper angelos exaltata eſt propter triumphum chriſti, atque ad dexteram patris collocata. *Hanc ergo legens ſententiam, tandem ſe recognouiſſe et impie egiſſe, voce et nimio fletu teſtatus.* Denique ADONIS teſtimonium ad hunc locum ſpectat, quod nuper a BOVQVETO[t]), ne de antiquioribus dicamus codicibus, ita fuit editum: *ſynodus iterum facta*, nimirum ann. XCIV, *contra ſupradictam hæreſin in Francofurt, legatis apoſtolicæ ſedis præſidentibus, Theophylacto et Stephano epiſcopis, et auctoritate ſanctorum patrum conuictus et damnatus eſt iterum Felix cum errore ſuo perpetuoque exilio apud Lugdunum relegatus eſt: quem ferunt in eodem ipſo ſuo errore mortuum,* At hanc ſcripturam deprauatam eſſe, ſua ætate iam ſuſpicatus eſt STEPH. BALVZIVS[u]). Voluit enim verba: *damnatus eſt* a voce *iterum* ſeparari hancque nouæ, vti dicunt, periodi initium

N

t) *ſcriptor. rer. Gall. tom.* V p. 320.
u) *not. in Agobard.* p. 110.

tium eſſe, auctoritate editionis vetuſtioris innixus. Hæc ſi admittuntur, liberatur ſimul ADO a negligentiæ ſuſpicione, quod Francofurtenſem ſynodum cum Aquisgranenſi confudit ac temporis rationes perturbauit; licet vera alioquin ea ſint, quæ ſcripſerit. At dubitamus nonnihil, accedere BALVZIO. Etenim quum ADO iis, quæ recitauimus, nullo interuallo interpoſito, hæc ſubiicit: *pſeudoſynodus quam ſeptimam Græci adpellant, pro adorandis imaginibus, abdicta penitus*, docet abunde, ſe in eo eſſe errore, vt exilii pœnam in FELICEM Francofurti, non Aquisgrani, irrogatam fuiſſe, perperam credat. Plura quum de congreſſu Aquisgranenſi veterum teſtimonia non exſtant, id vnum addimus, GVILCAVEVM [x]), quum de Aquisgranenſi concilio commentaretur, multa adferre, quæ veritati repugnant. Legantur præterea ANT. PAGIVS [y]), NATALIS ALEXANDER [z]), IAC. BASNAGIVS [a]), CAROLVS LE COINTE [b]), IOANN. DE FERRERAS [c]), ceteri.

XXXXII.

FELIX ne contra animi ſententiam egiſſe ac ſimulate doctrinam adoptianorum deſeruiſſe videretur, breui tempore poſt concilium Aquisgranenſe litteras dedit ad ſacerdotes,

x) *hiſtor. litter. ſcriptor. eccleſ. tom.* I p. 653.
y) *critic. in annal. Baron ann.* IↃCCXCIX §. XIV.
z) *hiſtor. eccleſ. tom.* IV p. 679.
a) *theſ. monim. eccleſ. tom.* II *part.* I p. 294.
b) *annal. eccleſ. Francor tom.* VI p. 703.
c) *hiſtoir. d'Eſpagne tom.* II p. 535.

tes, quibus erat præpoſitus, iisque quid eue-nerit, nuntiauit. Seruatæ nobis illæ ſunt ac ſæpius hac inſcriptione ornatæ: *confeſſio fidei Felicis, Orgelitanæ ſedis epiſcopi, quam ipſe poſt ſpretum errorem ſuum in conſpectu concilii edidit, et eis, qui in ipſo errore ei dudum conſentientes fuerant, direxit* d), in licem emiſſæ publicam. Tres potiſſimum earum ſunt partes. Quarum prima ea, quæ geſta ſunt, enarrat: ſecunda continet et dogmata, doctrinæ eius priſtinæ oppoſita, et ſatis longam orationem contra Neſtorium: tertia denique recenſet illuſtrium nonnullorum doctorum effata, contra eosdem errores prolata.

XXXXIII.

RELINQVAMVS vero FELICEM exſulem, et conuertamus noſtram orationem ad ELIPANDVM. De litteris quidem iam ſilemus, quas illum ad FELICEM, quem mentem mutaſſe, ignorauerit, hoc tempore ſcripſiſſe, nonnulli ſibi perſuaſerunt. Hos enim errare atque epiſtolam ann. IↃCCXCII exaratam eſſe, ſæpius nos notare, meminimus e). Controverſiam potius commemorare, libet, quæ ELIPANDO interceſſit cum ALCVINO. Scripſiſſe ALCVINVM ad ELIPANDVM epiſtolam, vt ad cognoſcendum, quo tenebatur, erro-

d) extat inter *opera* ALCVINI p. 998 et *opera* PAVLLINI p. 246. adde PHILIPPI LABBEI *conc. tom.* VII p. 1858 ſqq. IOS. SAENTZ AGVIRRII *concil. Hiſpan. tom.* III p. 115 ſqq. et IO. HARDVINI *concil. tom.* IV p. 929 ſqq.

errorem eum perduceret, alibi diximus *e*). Quæ licet modeſte animoque, a conuitiis alieno, eſſet exarata; ægre tamen tuliſſe videtur ELIPANDVS, ſenex et decrepitus vir, ſe ab homine iuniori doceri. Compoſuit ergo *epiſtolam* ad ALCVINVM *f*), eaque non ſolum mirificam conſtantiam in defendenda, quam amplexus erat, de adoptione chriſti ſententia oſtendit; ſed etiam ſibi ipſe haud temperauit, quo minus criminationes iniuriasque ALCVINO inferret. Quonam tempore ea fuerit ſcripta, nulla licet diuinatione nobis adſequi. Id vnum ex illa patet, eo tempore CAROLVM FELICI fuiſſe iratum, et ſi revocantur in animum, quæ paullo ante ex litteris ALCVINI ad Leidradum aliosque deſcripſimus, præ nobis habemus cauſſam, concludendi, ELIPANDVM dediſſe has litteras, antequam memorati Caroli legati in Hiſpaniam proficiſcerentur. Vtcumque ſit, ſatis eſt, noſſe, ALCVINVM ſibi non defuiſſe; ſed libellos binos oppoſuiſſe ELIPANDO, itidem ad noſtram ætatem perlatos *g*). Vtrumque in duos diſtribuit, ita vt non ſine cauſſa alii, quatuor libros aduerſus ELIPANDVM ab ALCVINO ſcriptos eſſe, dicant. Hos quidem poſt Aquisgranenſe concilium prodiiſſe, credere nos iubent, quæ in illis

e) §. XXXV.

f) exſtat inter ALCVINI *opera* p. 910 adiectaque eſt ab HENR. FLORO *Hiſpan. ſacr. tom.* V p. 562.

g) p. 919 *oper.*

illis de eodem dicta eſſe, obſeruauimus. Conſulas PETRVM DE MARCA [h]), monachos Benedictinos [i]), IAC. LONGVEVAL [k]), et REMIG. CEILLERIVM [l]), vt de aliis taceamus. Opportunam non poſſumus, quam oblatam nobis vidimus, occaſionem prætermittere, *epiſtolam* ALCVINI ad virginem, cuius nomen ignoramus, commemorandi [m]). Narrat, ſe miſiſſe *librum contra adſertores adoptionis*. Num hæc de libris ſeptem contra FELICEM; an de libris quatuor contra ELIPANDVM ſint capienda, nolimus definire. Præterea docet eam, quomodo aduerſus doctrinam de adoptione ſit pugnandum.

XXXXIII.

QVALIS fuerit ſtudii, quod ALCVINVS ad ELIPANDVM ab errore reuocandum adhibuit, euentus, dubium eſt atque ambiguum. Sunt quidem, qui benignius de illo cenſent, eumque abieciſſe ſententiam de adoptione ſicque vitam finiuiſſe ſub initium ſeculi noni, ſibi perſuadent. Quamuis nulla exſtent huius opinionis argumenta; niſi repetantur ex fabuloſis narrationibus auctoris *vitæ S. Beati* annaliumque IVLIANI et LVITPRANDI; horum tamen auctoritate, licet nullius ſit momenti,

 menti,

h) *marc. Hiſpan. libr.* III *cap.* 12 §. IX et X p. 272.
i) *hiſtoir. litter. de la Fr. tom.* IV p. 312.
k) *hiſtoir. de l'Egliſe Gallic. tom.* V p. 66.
l) *hiſtor. des auteurs ſacr. et eccleſiaſt. tom.* XVIII p. 308 ſqq.
m) p. 1004 *oper.*

menti, commoti fuere nonnulli, qui ſine omni dubitatione ELIPANDVM inter eos referrent, qui ſe a priſtinis erroribus liberauerunt. Commenti huius recentiore aetate patronus exſtitit AMBROSIVS MORALES [n]) ſuaque auctoritate effecit, vt praeter IOANN. TAMAIVM, martyrologii Hiſpanici, id eſt ineptiſſimarum nugarum artificem, IOANN. MARIANA [o]), GABRIEL VASQVETIVS [p]), IO. EVS. NIEREMBERGIVS [q]), HIERON. DE LA HIGVERA [r]), ANTONIVS PAGIVS [s]), CAR. LE COINTE [t]) et REMIGIVS CEILLERIVS [u]) eidem coniecturae ſubſcriberent. Alii tamen maiore mentis perſpicacia inſtructi, conſultius duxerunt, abſtinere ſeſe a ferendo de ſalute ELIPANDI iudicio, non quod fieri non potuiſſe, crediderunt, vt is mutaret ſententiam; ſed quod imprudentiae ſuſpicionem eos nunquam a ſe remouere, intellexerunt, qui in monimentis fictis falſisque ſuae ſententiae quaerunt praeſidia. Quo loco numeroque habendi ſunt: NIC. ANTONIVS [x]), IOANN. MABIL-

n) *hiſtor. Hiſpan. libr.* XIII *cap.* 26.
o) *hiſtor. Hiſpan. libr.* VII *cap.* 8.
p) *diſſ.* LXXX *in* 3 *part. Thom.*
q) *epiſtol. ad Laur. Ramir de Prado*, edita inter *opera* LVITPRANDI p. 522.
r) *diptych. Toletan.* eiusdem *operibus* adiecta p. 544.
s) *critic. in annal. Baron. tom.* XIII p. 366.
t) *annal. eccleſ. Franc. tom.* VI p. 719.
u) *loc. cit.* p. 365.
x) *bibl. Hiſpan. tom.* I p. 526.

BILLONIVS [y]), IAC. BASNAGIVS [z]), IAC. LONGVEVAL [a]), IO. DE FERRERAS [b]), IO. FRANC. MADRISIVS [c]). Quid, quæſo obſtat, quo minus nos ipſi idem nobis placere, libere confiteamur.

XXXXV.

QVÆ de FELICE dicenda reſtant, ea omnia debemus AGOBARDO, illuſtri ſeculi noni ſcriptori ac Lugdunenſium ſacrorum antiſtiti [d]). Quum Felix in eadem vrbe commoraretur cum AGOBARDO, non potuit fieri, quin hic omnia cognoſceret, quæ ab illo peragebantur. Varios autem, commemorat noſter, ſermones a FELICE fuiſſe habitos, ex quibus colligi queat, eum aut nunquam errorem depoſuiſſe; aut ſi depoſuerit, tamen poſt concilium Aquisgranenſe, ad eumdem denuo rediiſſe. Quænam ſint illæ ſententiæ, ab AGOBARDO reiectæ, ne violentur noſtræ dicen-

y) *annal. ord. Bened. tom.* II p. 339.
z) *loc. cit.* p. 296.
a) *hiſtoir. de l'egliſe Gall. tom.* V p. 68.
b) *hiſtoir. d'Eſpagne tom.* II p. 537
c) *diſſ.* laudata p. 225.
d) AGOBARDI res geſtas ſedulo expoſuerunt: PAPIRIVS MASSONVS in *vit. Agobardi* eiusdem *operibus* præmiſſa: ſcriptores *actor. ſanctor. Antverp. tom.* I *iun.* p. 748. *Galliæ chriſtianæ tom.* V p. 56 *hiſtor. litter. Gall. tom.* IV p. 567. REMIG CEILLERIVS in *hiſtoir. des auteurs ſacres et eccleſ. tom.* XVIII p. 591 aliique, laudati a IO. ALB. FABRICIO *biblioth. lat. med. et infim. ætat. tom.* I p. 77.

dicendi leges, alibi explicabimus. Hoc loco id vnum monemus, FELICEM neque in exilio a ſuſpicione prauæ opinionis fuiſſe liberatum. At poſtquam amiſit vitam, clariſſimis documentis comprobatum fuit, conſtanter ſeruaſſe FELICEM, quæ ſemper ei placuit, de adoptione chriſti doctrinam. E re noſtra eſſe videtur, audire ipſum AGOBARDVM [e]), hæc narrantem: *poſt obitum Felicis illius, qui fuerat quondam epiſcopus in ſede Orgellitana, inuenta eſt a nobis quædam ſcedula, ab eo edita, ſub ſpecie interrogationis et reſponſionis: quam quum legentes conſideraremus, inſpeximus, hominem diligenter et fraudulenter inſtauraſſe, quantum in ſe fuit, omnem prauitatem dogmatis ſui, in qua dudum fuerat detectus et conuictus, et propter quam ab honore epiſcopatus depoſitus. Qui licet aliqua verba, quæ prius imprudenter efferebat, poſtea ſuppreſſerit; aliqua tamen nunc addidit, quæ tunc reticuit*, cetera. AGOBARDVS certe credidit, in ſchedula illa denuo traditam fuiſſe doctrinam de adoptione ideoque partium ſuarum eſſe, cenſuit [f]), ſingulari libello contra eam pugnare. Quamuis eum benignior fortuna nobis ſeruauerit; ignoramus tamen, quonam tempore is ſit conſcriptus. CAR. LE COINTE [g]) ſuſpicatus eſt, contigiſſe id ann. DCCCXVIII eique ſuffragati

e) *libr. aduerſ. Felicem cap.* V et VI.

f) *cap.* I.

g) *annal. eccleſ. Franc. ann.* DCCCXVIII §. LXVII.

ti ſunt monachi Benedictini [h]) et REMIG. CEILLERIVS[i]). Nolumus tantis viris eo minus repugnare, quum aliæ temporis rationes ſuadent, vt ſi aberrauerint a vero, ſaltem in re leuiſſima erraſſe habeantur. Nec multo ante tempore FELIX ipſe ex hac vita deceſſiſſe videtur relicta, quod neque AGOBARDVS [k]) negare auſus eſt, ſumma vitæ piæ et chriſtianæ virtutis laude.

SECTIO POSTERIOR,
QVA
DE DOCTRINA ELIPANDI ET FELICIS DISQVIRITVR.

I.

TANTAS igitur in ciuitate chriſtiana excitauit turbas doctrina ELIPANDI et FELICIS. Qualis illa fuerit: quid præceperint iſti de perſona ſanctiſſimi ſeruatoris: num iure ſuo inter hæreticos ſoleant numerari, diligentius nunc diſputare animus eſt ac ſuſcipere laborem, eo magis arduum ac difficilem, quo grauiora ſunt inter viros doctos hac de re diſſidia. Quare cogitanti mihi, quem teneri oporteat commentandi modum, vt nihil veri non dicatur omniaque, quæ certa ſunt, a fal-

h) *loc. cit.* p.568.
i) *loc. cit.* p.592.
k) *cap.* II. Extat AGOBARDI libellus *tom.* I *oper.* p.1 edit. BALVZII.

ſis adcurate ab aliis dignoſci queant, viſum fuit, *primum* aliorum de FELICIS controuerſia colligere iudicia eaque in certas diſtributa claſſes, exponere; *deinde* vera certaque ELIPANDI et FELICIS dogmata, prout in antiquis monumentis tradita ſunt, ſtudioſe perceuſere: *denique* ex his, quantum fieri poteſt, ſententiarum notiones complicatas euoluere earumque inter ſe cohærentiam oſtendere.

II.

QVID alii de doctrina FELICIS iudicauerint, dum perſequi, propoſitum nobis eſt, quæ a noſtro argumento nonnihil aliena ſunt, præmitti fas eſt. Quo loco habenda eſt nonnullorum ſententia, qui FELICEM de ſanctis imaginibus eamdem cum Græcis habuiſſe opinionem, tradunt. Recentiori æuo fuere quidem hiſtoriarum ſcriptores, qui FELICEM contra imagines pugnaſſe; ſibi non ſolum perſuaderent; ſed etiam adderent, hanc eius opinionem in concilio Francofurtenſi fuiſſe condemnatam. Multo ſtudio, quæ hac de re relicta nobis ſunt, teſtimonia PLATINÆ, NAVCLERI, BERNHARDI *Luzelburgici* aliorumque congeſſit IO. GEORG. DOSCHÆVS[a]), hac tamen lege, vt iniuriam fieri FELICI noſtro, cenſeret. Idem pronuntiauit GABR. VASQVETIVS[b]), hosque ſequutus eſt

IO-

a) *collat. ad concil. Francof. ſect.* I *cap.* 2 p. 13 ſqq.
b) *diſp.* C. II in 3 *part. Thom. cap.* 3 p. 783.

ioannes trellvndivs [c]). Nec fieri poteſt, quin fateamur, teſtium, quum ætate longe inferiores ſint felice, non tantam eſſe auctoritatem, vt rem efficiant certam. Expeditum potius eſt, in concilio Francofurtenſi decreta fuiſſe facta contra imagines eaque publice reiecta, quæ in concilio Nicæno ad ſtabiliendam εἰκωνολατρείαν fuerant ſancita: hincque, ſi felix prodiderit animum, alienum a cultu imaginum, eius ſententiam potius ibi adprobatam. Nihilominus concedi poteſt, felicem omnino communi omnium doctorum, qui concilio Francofurtenſi interfuerunt, ſententiæ adeoque veritati ipſi fuiſſe addictum. Vt ita credatur, poſtulare videtur effatum dvngali, qui ſub Ludouico pio contra clavdivm *Taurinenſem* imaginum cultum ſuſcepit defendendum. Is vero ita ſcripſit [d]), *dominus beatiſſimæ memoriæ Carolus feruentiſſimus vigilantiſſimusque catholicæ fidei tutor et propugnator; nequiſſimæ caput viperæ in magiſtro huius erroris Felice, contra ſibilantis vnitatem eccleſiæ apoſtolicæ auctoritatis prævalida ferreaque confregit auctoritate.* Locum hunc ignorarunt laudati viri; eo autem uſi ſunt papirivs massonvs [e]) et stephan.

c) *diſſ. de Felice ſect.* II §. 3.

d) *prolog. reſponſ. contra peruerſas Claudii Taurinenſis ſententias*, quæ exſtant, *tom.* XIV *bibl. max. patr.* Lugd. p. 199.

e) *præfat.* dvngali *opuſculo*, quod Pariſiis ann. CIↃIↃCVIII ediderat, præmiſſa, ac *loc. cit.* repetita p. 196.

PHAN. BALVZIVS *f*) ad ſtabiliendam hanc ſententiam. Nequit negari, aperte DVNGALVM, qui ætati Caroli ſuppar fuit, adpellare FELICEM *magiſtrum erroris*, cuius CLAVDIVM *Taurinenſem* adcuſat. Nihilominus dubitandi ſubeſt cauſſa, num recte hæc ſcripſerit; an humani quid paſſus ſit DVNGALVS eaque, quæ diuerſa ſunt, inepte coniunxerit. Certum eſt, CAROLVM ſe obieciſſe FELICI, at vero eum erroris de imaginibus condemnaſſe, non ſolum tacent priſci ſcriptores; ſed teſtantur etiam, qui ſuperſunt, libri Carolini, diuum imperatorem omnino a cultu ſuperſtitioſo imaginibus præſtando, abhorruiſſe. Qui hæc DVNGALI verba cum teſtimonio IONÆ *Aurelianenſis* *g*), ad quod paſſim prouocauimus, comparauerit, intelligit ſane, CLAVDIVM *Taurinenſem* pro ſectatore FELICIS fuiſſe habitum; hac tamen ratione, vt vterque Arianiſmi eſſet ſuſpectus. De imaginibus certe, quum FELICEM memorat, IONAS prorſus ſilet. Quare prudentiæ leges ſuadere videntur, vt abſtineamus a ferendo iudicio de re nimis obſcura. Nihil quoque noſtra refert, ſiue recta; ſiue erronea fuerit de imaginibus FELICIS ſententia, ſiquidem in argumento, diuerſo remotoque a quæſtione illa, verſamur explicando.

III. QVA-

f) *not. in Agobard.* p. 12.

g) de *cultu imagin. libr.* I *tom.* XIV *biblioth. max. patr.* p. 168.

III.

QVARE accedere liceat ad doctrinam de chriſto, vt videamus, quales fuiſſe putent viri docti de illa FELICIS et ELIPANDI opiniones. Inter omnes quidem conuenit, controuerſiæ, quæ inter hos eorumque hoſtes fuit, tria fuiſſe capita, ſiquidem diſputatum fuerit primum de chriſti adoptione: deinde de diuino nomine; denique de ſeruitute. At vero quid de ſingulis his crediderint noſtri Hiſpani, dum definire ſibi ſumunt, in varias partes abeunt. Sunt, qui haud dubitanter ELIPANDVM et FELICEM peruerſæ et nefariæ ARII ſententiæ arguant, qua optimum reparatæ noſtræ ſalutis auctorem Ieſum chriſtum verum deum eſſe negauit. PAVLLINVS certe Aquileienſis [h]), qui nimio fere mentis feruore contra FELICEM pugnauit, ſibi haud temperauit, quo minus ſæpius illum grauiſſimi erroris adcuſaret. Ait enim de noſtro: *modo Arrium obuium amplectitur:* albi [i]): *Arius, de cuius iſte, Felix, deſcendiſſe ramniſera* [k]), *patenter videtur* [l]). Simili modo ALCVINVS ad ELIPANDVM ſcripſit: *hortaris, me Arium non eſſe, qui multorum ſua peruerſitate maculauit corda, vt recte non crederent. Ego gloria deo Ieſu, numquam in barathrum Arii*

h) *libr.* I *contra Felicem cap.* 8 p. 104 *oper.* edit. MADRISII.
i) *loc. cit. cap.* 12 p. 106.
k) deeſt vox *radice.*
l) adde *loc. cit. cap.* 37 p. 122.

Arii delapſus ſum; ſed tu vel Arius eſſe probaberis; vel tuam damnare ſententiam cogeris, qui adſeris, filium dei vnicum, vnigenitum vniusque procul dubio perſonæ adoptiuum eſſe m)), licet alibi n)) fateatur, ELIPANDVM errores Arianorum ſtuduiſſe deuitare. Recentiore ætate idem crimen ELIPANDO; aut FELICI obieciſſe quemquam, non meminimus, ſi a CHRIST. SANDIO o)) et Arianis Anglicanis diſceſſeris, quorum longa horrendisque de chriſto ſententiis plena exſtat *epiſtola*, Maroccano ad Carolum regem legato exhibita ac germanice a clariſſimo viro, GEORG. GVIL. ALBERTI p)) edita. Inſignem in illa adhibent calumniam ſuæque rerum geſtarum ignorationis egregium præbent ſpecimen, quum veram de chriſto deo doctrinam ætate Caroli magni variis paparum artibus introductam eique ſimul BONOSVM et ELIPANDVM reſtitiſſe, comminiſcuntur q)). Omnes vero illos, qui ELIPANDVM ac FELICEM in ſuſpicionem erroris Ariani vocare ſibi ſumunt, ſummam ſibi his imponere iniuriam, tot habemus documenta, quot verba eorum nobis ſunt relicta. Superſunt certe nonnulla eorum effata de chriſti diuinitate, quæ ſuo loco excitabuntur, tam luculenter tamque adcura-

m) *libr.* I *aduerſ. Elipandum* p. 937.
n) *libr.* II p. 948.
o) *nucl. hiſt. eccl.* p. 166.
p) *in den Briefen, betreff. den allerneueſten Zuſtand der Religion in Gros-britannien part.* III p. 692 ſqq.
q) p. 701.

adcurate concepta, vt dubitemus, meliora atque illuſtriora ab ipſo ATHANASIO proferri potuiſſe. Neque id ignorauit doctiſſimus MADRISIVS r); ſed ingenue confeſſus eſt, liberandos eſſe noſtros a pernicioſæ ſententiæ ſuſpicione; tamen haud potuit a ſe impetrare, vt eodem animi candore PAVLLINVM ſuum a vero aberraſſe ſanctiſſimamque dei legem, vt ne vlla dicantur mendacia, turpiter violaſſe, pronuntiaret.

IIII.

EODEM modo depellenda eſt a noſtris adoptianis criminatio, quam idem PAVLLINVS illis obtulit, quum contra FELICEM ita declamaret s): *ſanctum namque ſpiritum, Macedonii ſectam ſequutus, deum abnuis verum.* Impudentem eſſe oportet, qui hæc vera eſſe credat. Numquam enim de diuinitate ſpiritus FELIX quidquam protulit, quod recederet a regula ſanioris doctrinæ. Ea quidem, quæ illum de officio aduocati; ſiue παρακλήτου, a Ieſu chriſto adminiſtrato, diſputaſſe, teſtatur PAVLLINVS, nolumus adprobare; nec tamen condemnare libet, quæ non intelligimus. Hoc vero certum eſſe omnes confiteantur, oportet, PAVLLINVM nouum dediſſe incredibilis illius ſtudii, hæreſium numerum augendi, documentum, quum ex diſputatione colligi putaret, negaſſe FELICEM diuini-

r) *diſſ. dogmatic. de hæreſi Felicis,* quæ inter *Paullinianas tertia* eſt, §. III p. 207 ſqq.
s) *libr.* I *contra Felicem cap.* 24 p. 115.

Arii delapſus ſum; ſed tu vel Arius eſſe probaberis; vel tuam damnare ſententiam cogeris, qui adſeris, filium dei vnicum, vnigenitum vniusque procul dubio perſonæ adoptiuum eſſe m), licet alibi n) fateatur, ELIPANDVM errores Arianorum ſtuduiſſe deuitare. Recentiore ætate idem crimen ELIPANDO; aut FELICI obieciſſe quemquam, non meminimus, ſi a CHRIST. SANDIO o) et Arianis Anglicanis diſceſſeris, quorum longa horrendisque de chriſto ſententiis plena exſtat *epiſtola*, Maroccano ad Carolum regem legato exhibita ac germanice a clariſſimo viro, GEORG. GVIL. ALBERTI p) edita. Inſignem in illa adhibent calumniam ſuæque rerum geſtarum ignorationis egregium præbent ſpecimen, quum veram de chriſto deo doctrinam ætate Caroli magni variis paparum artibus introductam eique ſimul BONOSVM et ELIPANDVM reſtitiſſe, comminiſcuntur q). Omnes vero illos, qui ELIPANDVM ac FELICEM in ſuſpicionem erroris Ariani vocare ſibi ſumunt, ſummam ſibi his imponere iniuriam, tot habemus documenta, quot verba eorum nobis ſunt relicta. Superſunt certe nonnulla eorum effata de chriſti diuinitate, quæ ſuo loco excitabuntur, tam luculenter tamque adcura-

m) *libr.* I *aduerſ. Elipandum* p. 937.
n) *libr.* II p. 948.
o) *nucl. hiſt. eccl.* p. 166.
p) *in den Briefen, betreff. den allerneueſten Zuſtand der Religion in Gros-britannien part.* III p. 692 ſqq.
q) p. 701.

adcurate concepta, vt dubitemus, meliora atque illuſtriora ab ipſo ATHANASIO proferri potuiſſe. Neque id ignorauit doctiſſimus MADRISIVS r); ſed ingenue confeſſus eſt, liberandos eſſe noſtros a pernicioſæ ſententiæ ſuſpicione; tamen haud potuit a ſe impetrare, vt eodem animi candore PAVLLINVM ſuum a vero aberraſſe ſanctiſſimamque dei legem, vt ne vlla dicantur mendacia, turpiter violaſſe, pronuntiaret.

IIII.

EODEM modo depellenda eſt a noſtris adoptianis criminatio, quam idem PAVLLINVS illis obtulit, quum contra FELICEM ita declamaret s): *ſanctum namque ſpiritum, Macedonii ſectam ſequutus, deum abnuis verum.* Impudentem eſſe oportet, qui hæc vera eſſe credat. Numquam enim de diuinitate ſpiritus FELIX quidquam protulit, quod recederet a regula ſanioris doctrinæ. Ea quidem, quæ illum de officio aduocati; ſiue *παρακλήτου*, a Ieſu chriſto adminiſtrato, diſputaſſe, teſtatur PAVLLINVS, nolumus adprobare; nec tamen condemnare libet, quæ non intelligimus. Hoc vero certum eſſe omnes confiteantur, oportet, PAVLLINVM nouum dediſſe incredibilis illius ſtudii, hæreſium numerum augendi, documentum, quum ex diſputatione colligi putaret, negaſſe FELICEM diuini-

r) *diſſ. dogmatic. de hæreſi Felicis*, quæ inter *Paullinianas tertia* eſt, §. III p. 207 ſqq.

s) *libr.* I *contra Felicem cap.* 24 p. 115.

uinitatem ſpiritus ſancti, quem a πνευματομάχων ſcelere perinde; vt PAVLLINVM, alienum fuiſſe, credimus.

V.

MAIORI iure de Neſtorianiſmo ELIPANDI et FELICIS diſputatum fuit. Qui negligentius opiniones eorum expendunt, facili negotio hos, non infitiamur, eo poſſe adduci, ut credant, eos tantum inter vtramque, quæ in chriſto ineſt, naturam intercedere, ſtatuiſſe diſcrimen, quantum omnem illam tollat vnionem hypoſtaticam atque efficiat, vt chriſtus perinde duas complectatur perſonas, ac duas naturas. Eo tempore, quo controuerſia hæc fuit agitata, omnes conſenſiſſe, quod Neſtorii dogmata in lucem quaſi reuocentur, recte monuit venerabilis SIGISM. IAC. BAVMGARTENIVS[t]). Noſtrum eſſe, putamus, officium, luculentis rem comprobandi teſtimoniis. ALCVINVS diligentiſſimus fuit in exprobrando ELIPANDO et FELICI errore Neſtorii. De FELICE ait[u]): *diuidit chriſtum in duos filios, vnum vocans proprium; alterum adoptiuum: et in duos deos, vnum verum deum; alterum nuncupatiuum.* Hæc omnem explicant cauſſam, cur in Neſtorianorum numero haberi conſueuerint FELIX et ELIPANDVS. Eorum enim hoſtes concludebant, neceſſe eſſe, vt admiſſa adoptianorum

t) *in dem Auszug der Kirchengeſchichte* §. 391 *part.* III p. 1284.

u) *libr.* I *contra Felic.* p. 781.

rum ſententia, chriſtus in duas diuidatur perſonas. Num recte ita iudicauerint, poſthæc locus erit diſpiciendi. Magis luculenta his ſunt alia eiusdem ALCVINI verba v): *intelligite quandoquidem hunc errorem veſtrum et humiliamini ſub manu omnipotentis dei et diſcite veritatis doctrinam, ne ſitis magiſtri erroris: ne dum Eutychetis foueam declinare et impermixtionem duarum naturarum cauere videamini, in Neſtorii barathrum inconuenienter diuidendo decidatis, licet voce diſſimili; tamen confeſſione pari. Quem enim fecit ille in perſonis alterum et alterum, hunc vos facitis et in filiis duobus et in diuinitatis diuerſitate alterum et alterum.* Simili modo x): *ceſſet itaque Felix*, inquit, *chriſtum in duos filios; vel in duos deos diuidere, ne Neſtorianæ fiat infidelitatis particeps. Quia quod Neſtorius in numero perſonarum, hoc Felix in numero filiorum facere videtur*, vt alia huius generis teſtimonia prætermittantur. Cum ALCVINO conſentit PAVLLINVS, qui non ſolum expreſſe adcuſat FELICEM, quod chriſtum in duos diuidat y); ſed etiam alibi z) doctrinam eius ita explicat, vt eadem ſit cum Neſtoriana. ADRIANVS, pontifex Romanus, in eadem fuit ſententia, quam his verbis declarauit a): *Eliphandus et Aſcaricus cum aliis eorum conſentaneis filium dei adoptiuum confiteri*

O *non*

v) *loc cit.* p. 792.
x) *libr.* IV *contra Felic.* p. 848.
y) *libr.* I *contra Felic.* p. 103.
z) *cit. loc. libr.* I *cap.* 12 p. 106 *c.* 13 p. 107 cet.
a) *epiſt.* XCVII *codic. Carol.* p. 819 edit. DVCHESNE.

non erubeſcunt, quod nullus e qualibet hæreſi antea talem blasphemiam auſus eſt oblatare, niſi perfidus ille Neſtorius, qui purum hominem dei confeſſus eſt filium. Inprimis memorabilis eſt locus *epiſtolæ ſynodicæ*, a Germaniæ Galliæque præſulibus in concilio Francofurtenſi conſcriptæ [b]), qui huic opinioni multam adfert veritatis ſpeciem. Aiunt: *nonne olim eadem hæreſis veſtra in Neſtorio ab vniuerſali ſancta eccleſia refutata eſt etiam ac damnata? Quapropter forte illum anathematizare noluiſtis, dum alios, Bonoſum ſcilicet, Arium et Sabellium Manichæumque, qui praua de dei filio ſenſerunt, in epiſtola veſtra anathematizaſtis.* At bene res ſe habet. Inepte enim a ſilentio, quo ELIPANDVS in epiſtola Neſtorium præteriit, concludi, patet, illum cum hoc eadem ſentire. Quisque intelliget, quum ELIPANDVS errores eorum damnaret, qui de diuina chriſti natura minus recte ſtatuerunt, cum ſummo iure ex hoc numero Neſtorium, qui non de diuina chriſti natura; ſed de huius cum humana coniunctione male docuiſſe fertur. Neque omitti, fas eſt, FELICEM ipſum ita de ſua doctrina loquutum eſſe videri, vt concederet, eam eſſe Neſtorianam. At qui liberiori animo eius verba expenderit, eum neutiquam id confiteri, facili negotio intelliget. Ignorauit enim, quid crediderit NESTORIVS: *pacem et vnitatem fidei,* inquit [c]), *cum omnibus fidelibus eccleſiæ absque vlla*

b) conf. HARDVINI *concil. tom.* IV p. 893.

c) in *confeſſ. fid.* p. 931 edit. HARDVINI.

vlla ſimulatione, inconuulſa fide retineamus, ne cum Neſtorii impietate concordantes, qui purum hominem chriſtum dominum credidit, alicubi deinceps labamur. Poſtea rectius quidem ſententiam NESTORII explicauit, ſeque per argumenta doctorum chriſtianorum, quæ illi oppoſuere, ad mutandam mentem commotum fuiſſe, confeſſus eſt; at numquam dixit, ſe eadem cum NESTORIO ſtatuiſſe. Diligengentiſſimus etiam fuit in hac de FELICIS dogmatibus ſententia comprobanda AGOBARDVS, quod ex his verbis poteſt cognoſci [d]): *timens permixtionem Eutychetis incurrere, corruit in diuiſionem Neſtorii. Sed quia eum, de quo ſermo eſt, corruiſſe diximus, in Neſtorii peſſimam diuiſionem, opportunum, puto, eſſe in hoc loco ponere ſententias Neſtorii, antequam ad huius dicta diſcutienda veniamus, vt prudens lector cognoſcere valeat, quam conſona Felix Neſtorio ſenſerit.* Extremo denique loco nominare, liceat, IONAM *Aurelianenſem*, qui de epiſcopis, ſiue Ratisbonæ, ſiue Francofurti congregatis, hæc ſcripſit [e]): *Felicem damnauerunt: immo cum auctore ſui erroris, Neſtorio, quem imitatus eſt, perpetuo anathemati mancipauerunt.* Hos, qui recentiore ætate ſequuti ſunt magiſtros, non potuerunt, quin vno ore clamarent, ELIPANDVM ac FELICEM fuiſſe Neſtorianos. Laudauit hanc in rem doctiſſimus

d) *libr. aduerſ. Felic. cap.* VI p. 8.
e) *libr.* I *de cultu imag.* p. 168 *tom.* XIV *biblioth. max. patr.* Lugdun.

ſimus MADRISIVS f), cui eadem placuit ſententia, PAPIRIVM MASSONVM, IO. MARIANAM, CÆSAR. BARONIVM, SEV. BINIVM, DIONYS. PETAVIVM, NATAL. ALEXANDRVM, PHIL. BRICHVM et CHRISTIAN. LVPVM; addi tamen his poſſunt FRANC. LONGVS A CORIOLANO, GREGORIVS DE' VALENTIA, FRANC. SVARESIVS, IOS. RAGVSA, ADAM TANNERVS, ÆGID. CONINGKIVS, commemorati a IO. TOB. MAIORE g). Nominare denique, vt vel ipſe numerum augere illorum videar, mihi liceat, THOM. RAYNAVDVM h), PETR. DE MARCA i), STEPH. BALVZIVM k), IAC. LONGVEVAL l), IOANN. TRELLVNDIVM m), et IO. DOM. MANSI n). Tanta eſt eorum multitudo, qui NESTORII errorum ELIPANDVM ac FELICEM incuſarunt, licet nonnullis ex his ſatis fuerit, credere, non niſi per concluſionem rationis effici illud, quod pro certo habent. Fuerunt tamen prudentiores viri, qui ſine cauſſa noſtros in ſuſpicionem Neſtorianiſmi vocari intelligerent eosque ab illa liberare, omni ope et opera niterentur.

f) *diſſ. laudata* §. XI p. 109.

g) *diſſ. de filiatione chriſti vt homo eſt* §. XLVIIII.

h) *tom.* II *oper.* p. 48 ſqq.

i) de *marc. Hiſpan. libr.* III *cap.* 12 §. 1.

k) *not. in Agobard.* p. 6.

l) *hiſtoir. de l'egliſe Gallic. tom.* V p. 2.

m) *diſſ. de hæreſi Elipandi et Felicis cap.* II §. 5 p. 374 edit. VOGTII.

n) *not. in Baron. annal. tom.* XIII p. 248

rentur. Principem vero locum inter hos ſuo iure obtinet GABR. VASQVETIVS o), ei tamen adiungi oportet IO. GEORG. DORSCHEVM p), IOS. SAENZ AGVIRRIVM q), IOS. EVS. NEREMBERGIVM r), IO. HENICHIVM s) eosque omnes, quos nihil erroris in ſententia FELICIS fuiſſe, autumant. Argumenta, quæ ex vtraque parte ſolent adduci, diligentius percenſere nimis longum foret ac parum haberet vtilitatis. ſiquidem ex illis, quæ ipſi de veris doctrinæ Felicianæ rationibus præcipiemus, quisque ea intelliget.

VI.

QVÆ hactenus perſequuti ſumus, virorum doctorum iudicia de lite Feliciana inter ſe conueniunt, ſententiam adoptianorum inter pernicioſos et grauiſſimos de christo errores eſſe numerandam; ſiue in vnionem vtriusque naturæ hypoſtaticam ſit iniurioſa. Ab iis ii longiſſimo interuallo disiuncti ſunt; qui inter FELICEM eiusque aduerſarios de nulla re; ſed de verbis dimicatum eſſe, autumant. Nullum, putant, inter vtramque partem, interceſſiſſe diſſenſum de diuina chriſti natura: nullum diſſidium de vnione hypoſtatica et communione idiomatum: ſed noua nomina offen-

o) *diſſ.* LXXXIX *in 3 part. Thom.* cap. VII p. 702 ſqq.
p) *coll. ad conc. Francof.* p. 44.
q) *præf. tom. III concil. Hiſp.* §. XV.
r) *epiſtola*, LVITPRANDI *operibus* adiecta p. 520 ſqq.
s) *ſyſtem. theol.* p. 882.

diſſe eos, qui ELIPANDO ac FELICI ſeſe obiicerent. Antequam nominentur ii, qui ita ſtatuant, liceat breuiter monere, exſtare in ipſis priſci æui monumentis, quibus omnis controuerſiæ huius continetur memoria, nonnulla loca, ex quibus huius ſententiæ peti queant præſidia. ALCVINVS certe conqueritur de *nouo et inaudito nomine* t); alibi u) vero narrat, FELICEM obiicere, *nouum hominem nouum nomen habere*, ac reſpondet: *quis hoc nouum nomen veſtris inſonuit auribus?* et, paucis interpoſitis x), negat, *adoptiui nomen* eſſe *nouum*, quod ante chriſtum exſtiterint filii adoptiui. Nec PAVLLINVS neglexit, contra FELICEM hoc vrgere y), quod nomina *nuncupatiui dei* et *filii adoptiui* in ſacris litteris non inueniantur. CAROLVS denique *magnus* z) aperte: *huius adoptionis*, inquit, *in chriſto, nomen a vobis exortum, noſtros offendit animos.* Itane FELIX et ELIPANDVS non in doctrina, ſed in verbis ac dicendi formulis peccarunt? Quamuis hos, quos excitauimus, ſecus ſenſiſſe erroresque illorum maximi ponderis habuiſſe, certum ſit; alii tamen in hac fuere opinione. Hoc quidem fere omnes, qui poſt Hiſpanos noſtros chriſtum hominem filium dei adoptiuum dici poſſe, exiſtimarunt, ſibi

t) *libr.* I *contra Felic.* p. 783.
u) *libr.* II *contra Felic.* p. 804.
x) *loc. cit.* p. 808.
y) *libr.* I *aduerſus Felic. cap.* 39 p. 124.
z) *epiſtol. ad Elipand.* p. 900 edit. HARDVINI.

ſibi perſuaſiſſe, quisque intelligit. Quare hos ſilentio iam praetermitti oportet, ſiquidem de iis atque inprimis de GEORG. CALIXTO, et IO. TOB. MAIORE, theologis noſtratibus, data opera dicendi, nanciſcemur occaſionem. Nominari potius, decet, IAC. BASNAGIVM [a]), qui breuiter dixit: *nos ingenue fatemur, meram fuiſſe logomachiam, quæ ſæpius occurrit apud theologos.* Eamdem adprobarunt coniecturam: SAMVEL WERENFELSIVS, perilluſtris IO. LAVR. MOSHEMIVS, CORNEL. DIETERIC. KOCHIVS [d]) et PAVLL. ERN. IABLONSKIVS [e]), quibus contradixerunt ven. CHRIST. MATTH. PFAFFIVS [f]) et IO. FRANCISCVS MADRISIVS [g]). Nec de hac coniectura ſententiam dicere libet; ſed progredi potius ad adcurate enarranda FELICIS et ELIPANDI dogmata, quæ num magni; an parui ſint momenti, bonus quisque perſpiciet.

VII.

QVVM tanta eſt ſententiarum de doctri-

a) *theſ. monim. eccleſ. tom.* II part. I p. 288.
b) de *logomach. erud. cap.* II §. 2.
c) in *inſtit. hiſtor. eccleſ. antiqu.* p. 545 ſqq.
d) in *disquiſ. de diſputationibus nonnullis in eccleſia medii æui infelicibus*, Helmſtadii ann. CIↃIↃCCXXI edita atque a IO. VOGTIO *bibliotb. hæreſ. tom.* I *faſc.* 3 inſerta, p. 455.
e) *inſtitut. hiſtor. chriſt. antiqu.* p. 220.
f) *diſſ. de chriſto ſeruo dei* p. 2.
g) *in animadu. in Iac. Baſnagii obſeru.* p. 277 oper. PAVLLINI.

na ELIPANDI et FELICIS diſcordia, arduum videtur, vera a falſis diſcernere et, quid certum ſit, diuinare. Nihilominus periculum fieri oportet, quantum liceat, ad veritatem accedere. Quare viſum fuit, nouam, rem explorandi, ingredi viam. Primo loco ante oculos lectorum ponenda ſunt teſtimonia hiſtoricorum, qui animo, a contradicendi ſtudio liberato, res, vti contigerunt, ſolent enarrare: deinde colligenda et in ſuas claſſes diſtribuenda ELIPANDI et FELICIS, quæ ſuperſunt, teſtimonia: denique, ſi hæc inter ſe comparantur, vera eorum ſententia et variorum dogmatum inter ſe cohærentia facilius definienda. Quæ viri docti, qui publice contra illos pugnarunt, nobis reliquere, prorſus, puto, negligenda eſſe, ſiquidem abunde patet, hos, non quid ſenſerint ELIPANDVS et FELIX, ſed quid hos ſenſiſſe, crediderint, litteris mandare, conſueuerunt: Ex hiſtoriarum ſcriptoribus EGINHARDVS; ſiue quisquis annalium auctor ſit, adcurate quæſtionem, quam ELIPANDVS FELICI propoſuit, ita expreſſit [h]: *quid de humanitate ſaluatoris dei et domini Ieſu chriſti ſentiri deberet, vtrum ſecundum id, quod homo eſt, proprius; an adoptiuus dei filius credendus eſſet ac dicendus?* perinde ac reſponſum FELICIS, chriſtum eſſe *adoptiuum* dicendum. Eadem oratione ligata ſignificauit *poeta Saxo* [i]), qui de FELICE ait: *ad-*

h) conf. BOVQVETI *ſcriptor. rer. Franc. tom.* V p. 210.

i) conf. EVMDEM p. 156.

adfirmans, chriſtus dominus, quia corpore ſumto:
eſt homo dignatus fieri, non proprius ex hoc,
ſed quod adoptiuus ſit filius omnipotentis.

IONAS *Aurelianenſis* [k]) itidem de FELICE: chriſtum *ſecundum humanitatem non eſſe proprium filium dei; ſed adoptiuum, prædicare auſus eſt.* *Annalium Moiſſiacenſium* [l]) auctor de noſtris hæc litteris conſignauit: *aiebant, quod dominus noſter Ieſus chriſtus, in quantum ex patre eſt ineffabiliter ante ſecula genitus, vere ſit filius dei et in quantum ex Maria ſemper virgine carnem adſumere dignatus eſt, non verus; ſed adoptiuus dei filius.* Eadem *Anianenſis* [m]) more ſuo deſcripſit.

VIII.

IAM accedimus ad ELIPANDI et FELICIS effata, quibus doctrinæ ſuæ explicarunt rationes. Quæ quum in varias claſſes diſtribuere propoſitum eſt, ad *primam* ea referre libet, quibus varias doctrinæ chriſtianæ partes atque in his maxime capita de chriſto, recte, adcurate ac ſine errore tradiderunt. I) De *diuina chriſti natura* præclare præceperunt. Eum eſſe verum deum: ex eſſentia patris ab æterno genitum: patri ὁμοούσιον, non adoptione; ſed natura, vno ore confeſſi ſunt. ELIPANDVS aperte ait [n]): *in forma dei æqualis*

 erat

k) *libr* I *de cultu imag.* p. 168 *tom.* XIV *biblioth. max. patrum* Lugd.
l) vid. BOVQVETVM *loc. cit.* p. 74.
m) vid. *hiſtoir. de Languedoc tom.* I *adp.* p. 18.
n) *epiſtol. ad Alcuin.* p. 920.

erat filius patris et inter genitorem atque vnigenitum nulla erat in eſſentia diſcretio: nulla in maieſtate diuerſitas; nec per incarnationis myſterium aliquid verbo deceſſerat, quod dei patris munere redderetur, item [o]): *ego non deum dei filium, ante ſecula ex patre genitum, per quem facta ſunt inuiſibilia et viſibilia: ſpiritualia atque corporea (quem credo adoptione non eſſe; ſed genere; neque gratia; ſed natura) deum eſſe, negaui*, atque in *epiſtola* ad Carolum [p]) chriſtum adpellauit *dei filium, ſine tempore vnigenitum: ſine adoptione.* Eadem mens eademque ſententia fuit FELICIS, de quo ipſe PAVLLINVS teſtatur, eum dixiſſe: chriſtum *ſecundum diuinitatem verum deum et verum dei filium* eſſe [q]). AGOBARDVS præterea conſeruauit verba FELICIS [r]): chriſtum eſſe *filium dei de ſubſtantia patris genitum:* item [s]): *verus et proprius filius ille veraciter creditur, qui de ſubſtantia patris eſt genitus, non aliunde adſumtus, cui generatio dat nomen filii, non electio; vel gratia; ſiue adoptio; aut voluntas.* II) De *trinitate* nullius erroris poſſunt argui noſtri. Tres eſſe in trinitate perſonas hosque tres eſſe deum vnum, conſtanter adfirmarunt, licet ALCVINVS et PAVLLINVS criminentur, eos quatuor: immo plures fingere deos.

o) p. 923.
p) vid. *ſect.* I §. XXVI.
q) *libr.* I *aduerſ. Felic. cap.* 55 p. 134.
r) *adu. Felic. cap.* IX p. 11.
s) *cap.* XIX p. 19.

deos. Quam longe abſuerint ab horrendo errore, loquuntur eorum effata luculenta. Sic ELIPANDVS: [t]) *non homine adſumto; vel adoptiuo perſonarum auctus eſt numerus; ſed manet eadem trinitas*, et paullo ante egregie dixit [u]): *ſecundum formam dei ipſe et pater vnum ſunt.* Nec diſcedit FELIX, quem ALCVINVS hæc de chriſto protuliſſe, teſtatur [x]): *idem eſſentialiter cum patre et ſpiritu ſancto in vnitate deitatis verus eſt deus.* III) de *vera chriſti humanitate* ELIPANDVM aut FELICEM vmquam dubitaſſe, nemo dicere, auſus eſt. Tantum abeſt, vt hac in re errauerint, vt ELIPANDVS illos, qui ipſi contradicerent, grauiſſimi erroris, quo chriſtus negatur verus homo, adcuſauerit: IIII) ſedulo cauerunt, ne ex humanitate chriſti concluderetur, quod perſona eius eſſet indignum. Αναμαρτησιαν dulciſſimi ſeruatoris diligentiſſime commendarunt. Deſcripſit ELIPANDVS [y]) chriſtum *hominem perfectum, præter delicti contagium, humano generi conſimilem, conſortem atque conformem et coheredem*, ac, paucis interpoſitis [z]), *dei filium verum de virgine, præter peccatum, carnem adſumſiſſe, noſtræ ſimilem*, adfirmet. Idem alibi [a]) ita exprimit: *totus eſt in noſtris; ſicut totus*

t) *epiſtol. ad Alcuin.* p. 922.
u) p. 920.
x) *libr.* IV *contra Felic.* p. 835.
y) in *epiſtola ad Carolum.*
z) *epiſtol. ad Carolum.*
a) *epiſt. ad Alcuin.* 912.

tus eſt in ſuis, præter delictum: V) difficillimas illas de *perſona* chriſti ac de diuina cum humana natura coniunctione hypoſtatica quæſtiones non ſolum bene perſpectas habuere; ſed easdem etiam ſatis recte explicarunt. ELIPAND quidem hæc ſunt effata: *vnus eſt dominus ieſus chriſtus et veræ deitatis veræque humanitatis in ipſo vna prorſus eademque perſona eſt:* b) *in domino ieſu chriſto deitatis et carnis vna eſt confitenda perſona* c)*: ſicut in homine quolibet, præter vnum illum qui ſuſceptus eſt ſingulariter, anima et corpus vna perſona eſt* d)*; ita in chriſto verbum et homo adoptiuus vna perſona eſt.* Quæ poſtremo loco non ita capienda eſſe, ac ſi ELIPANDVS aut corpore; aut anima chriſtum caruiſſe, ſtatuerit: ſed potius de imperſonalitate humanæ chriſti naturæ, neminem præterit. *Pari* diligentia atque ἀκριβῶς dicendi ſtudio locutus eſt FELIX. Hæc illius verba recitauit ALCVINVS e), *eumdem eſſe filium hominis, qui eſt et filius dei: qui illum ſibi ex vtero matris ſcilicet ab ipſo concepta in ſingularitate ſuæ perſonæ ita vniuit atque conſeruit, vt dei filius eſſet hominis, non mutabilitate naturæ, ſed dignatione: ſimiliter et hominis filius eſſet dei filius, non verſibilitate ſubſtantiæ; ſed in dei filio eſſet verus filius.* His adprime conſentanea ſunt, quæ PAVLLINVS *Aquileienſis* f) de

FE-

b) epiſtol. ad Alcuin. p. 920.
c) p. 921.
d) p. 922.
e) libr. V *contra Felic.* p. 851.
f) libr. I *aduerſ. Felic. cap.* 9 p. 105.

FELICE expreſſis vetbis narrauit: *confitetur, ſe dominum ieſum chriſtum verum deum verumque credere hominem: ab ipſo ſcilicet conceptu virginalis vteri a verbo dei in ſingularitate perſonæ inſeparabiliter absque vlla confuſionis mutabilitate vtriusque naturæ, vnum eumdemque dei hominisque filium; nec alterum dei, alterum hominis; ſed vnum eumdemque dei et hominis filium, non duos filios, nec duos deos.* Quas AGOBARDVS exhibet, FELICIS ſententiæ his præclare dictis non repugnant; ſed confirmant eadem eumque conſtantem fuiſſe in hac ſalutari doctrina, abunde comprobant. Inter alia dixit g): *ſicut in ſe continet duas naturas, id eſt, diuinitatis et humanitatis ſuæ; ita duobus modis vnus creditur dei filius.* Alibi h): *propter ſingularitatem perſonæ, in qua diuinitas filii dei cum humanitate ſuas communes habent actiones; qua ex cauſa aliquando ea, quæ diuina ſunt, referuntur ad humana et ea, quæ humana ſunt, interdum adſcribuntur ad diuina et hoc ordine aliquando dei filius in hominis filio filius hominis adpellari dignatur et hominis filius in dei filio filius dei nuncupatur.* Hæc ſine partium ſtudio legentes relegentesque, num putas, quidquam inuenire poſſe, quod Neſtorianam perſonæ chriſti disiunctionem redoleat? Equidem haud ignoramus, exſtare nonnulla ELIPANDI atque FELICIS effata, quæ contorta interpretatione ita poſſunt explicari, vt tale inter vtramque naturam diſcrimen ſignifica-

g) *cap.* XVI p. 17
h) *cap.* XXXIII p. 41.

ficare videantur, quale tollat vnionem ὑποστατικὴν. At ſi liberiori animo rem expendimus, nulla illa egere difficultate quisque intelliget, ſiquidem non de chriſto, qui eſt homo; ſed de chriſto, quatenus eſt homo, ſunt prolata. Vnicum rei exemplum adferre ſufficit, in quo nolim lectorem *adoptiui* voce offendi, ſiquidem de illius ſignificatione, quam ELIPANDVS ei tribuit, inter nos nondum convenerit. TRELLVNDIVS [i]) qui iuſto acrius Neſtorianos errores in adoptianorum doctrina quærit, ETHERII et BEATI exemplo vrget inprimis hæc ELIPANDI verba: *non per illum, qui natus eſt de virgine, viſibilia et inuiſibilia condidit; ſed per illum, qui non eſt adoptione; ſed genere; neque gratia, ſed natura. Et per iſtum, dei ſimul et hominis filium, adoptiuum humanitate et nequaquam adoptiuum diuinitate, mundum redemit.* [k]). Premunt ETHERIVS et BEATVS, diſcerni *illum* et *illum* perinde vt a Neſtorio ἄλλον καὶ ἄλλον. Nolumus hoc loco de auctoritate teſtimonii diſputare, licet alibi dictum ſit, *ſymbolum*, ex quo id deſumtum eſt, iure ſuo poſſe reiici. Id potius monemus, ELIPANDVM ſi vmquam hæc pronuntiauerit ſatis luculenter declaraſſe, ſe de diſcrimine naturarum, non perſonarum, hæc loqui, maxime ſi ea, quæ antecedunt, cum his comparantur. Quare quum hæc verba non poſſunt ex mente

aucto-

i) *diſſ.* laudata *ſect.* II §. VI.

k) apud ETHERIVM et BEATVM *libr.* I p. 310 edit. BASNAGII.

auctoris aliter intelligi, quam vt ſignificent, *creationem*, tanquam opus naturæ diuinæ, concreto humanæ naturæ non per ſe et formaliter; ſed propter vnionem tribui, non videmus, quidnam in illis iure queat reprehendi. Niſi enim neges, concretum humanæ naturæ eſſe creaturam, concedas, neceſſe eſt, illud, qua tale, non poſſe ſimul eſſe creatorem; at propter vnionem ὑποςατικην recte dicitur Θεανθρωπος ideoque et homo creator: VI) ad hunc locum etiam ſpectat doctrina de κοινοποιια ſiue de communicatione ἀποτελεσματων τȣ θεανθρωπȣ. Hanc enim FELICEM vocaſſe in dubium, nonnulli ſibi perſuadent. Quod ſi ELIPANDO hæc fuit ſententia, quam ETERIVS et BEATVS iis verbis, quæ paullo ante recitauimus, expreſſerunt: *per iſtum, dei ſimul et hominis filium, mundum redemit*, eum ὀρθοδοξως eſſe loquutum, nemo infitiabitur. At alia ſolent opponi effata, vt de laude detrahatur [l]). ALCVINVS dedit hæc verba FELICIS: *nusquam in euangelio dei filius pro nobis; ſed tantum filius hominis traditus legitur*. Eadem illi exprobat PAVLLINVS [m]): *tu igitur dixiſti, non ego, ideo obſeruatum eſſe in toto euangeli corpore, hominis ſemper filium traditum, non dei*. AGOBARDVS denique adduxit eiusdem FELICIS effatum [n]): *certe catholica fides credit, quod non proprius dei filius, qui de patris*

l) *libr.* V *contra Felic.* p. 859.
m) *libr.* II *cap.* 12 p. 147.
n) *cap.* XXXVI p. 44.

patris ſubſtantia genitus eſt et per omnia patris ſimilis, pro nobis traditus ſit: ſed homo adſumtus ab eo. Hæc incaute ac imprudenter eſſe edicta, non infitior; at meliora mihi videtur concepiſſe mente; quam declarasſe verbis. Nihil enim aliud puto, FELICEM ſignificaſſe; quam idem, quod purioris doctrinæ theologi præcipiunt, ad varias officii mediatorii partes, a chriſto rite adminiſtrandas, vtramque naturam ea, quæ ſibi popria ſunt, diſtincte contuliſſe. Concretum diuinæ naturæ non potuit mori, ideoque adiunxit ſibi filius dei humanam naturam, vt poſſet mori. Hinc non male dixit FELIX, filium hominis, non filium dei, eſſe mortuum; at male dixiſſet, filium hominis ſine filio dei eſſe mortuum, aut negaſſet, filium dei, qui eſt filius hominis, eſſe mortuum. Optime κοινοποιιαν theologi noſtrates ita explicant, vtramque naturam, quæ cuilibet propria ſunt *diſtincte*, non *diuiſim*; ſed indiuiſe contuliſſe. FELICEM vero tam male cogitaſſe, vt *diuiſim* mortem ſoli concreto humanæ naturæ tribueret, quibusnam argumentis queat probari, me quidem, lubens fateor, ignorare: VII) extremo loco notare liceat ELIPANDI dogma, quod licet a præcipua argumenti noſtri parte nimis videatur eſſe alienum; omni tamen controuerſiæ lucem adfert ac veram cauſſam declarat, cur tantæ animorum fuerint contentiones tantaque aduerſariorum FELICIS atque ELIPANDI ſtudia, aliis perſuadendi, illos inter turpiſſi-

piſſimos hæreticos recte haberi. De eccleſia chriſtiana præclare docuerunt FELIX et ELIPANDVS eaque tradiderunt, quæ doctrinæ de eccleſia, in qua pontificiorum errorum maxima collocata ſunt præſidia, aperte refragantur. Egregia quidem; pauca tamen ſunt FELICIS verba, quæ ALCVINVS o) dedit: *aliquando eccleſia in exiguis eſt, ſed non in vno angulo terrarum excluſa, ſed neque in vna prouincia; aut gente; vel regno; ſed toto orbe terrarum diffuſa.* Copioſius vero hanc rem perſequutus eſt ELIPANDVS in litteris ad Migetium, quas HENR. FLORVS primus in lucem produxit. Negat enim, Romanam ſolam eſſe veram eccleſiam: negat huic ſoli eſſe poteſtatem, a deo conceſſam, de rebus ſacris cognoſcendi ac ſtatuendi: diſputat non male de antichriſto, atque oraculum ſanctiſſimum de eccleſia, in petra exſtruenda, quo turpi errore Romani praeſulis adſentatores abuti ſolent, de vniuerſo vere credentium cœtu interpretatur p). Parum abeſt, quin ob hæc teſtimonia ELIPANDVM et FELICEM teſtium veritatis numero adſcribendos eſſe, autumem. Plura quidem his addi potuiſſent *ὀρθοδοξίας Felicianæ* atque *Elipandinæ* ſpecimina; niſi hæc propoſitæ noſtræ quæſtioni illuſtrandæ ſufficerent.

VIII.

o) *libr.* I *contra Felic.* p. 787.

p) conf. FLORI *Eſpanna ſagrada tom.* V p. 546.

VIII.

QVÆ adhuc diſputata ſunt, non eo conſilio a nobis expoſita fuere, vt ELIPANDVM ac FELICEM ab omni erroris ſuſpicione liberaremus. Quanam ergo in re diſceſſerint a veritate, eodem animi candore explicabo: 1) dogma de *adoptione filii dei* non poteſt omni ex parte excuſari, licet difficillimum ſit, adcurate illius ſententiam adſequi. Antequam eorum recitentur effata, de quæſtione ipſa conueniamus, quæ in controuerſiam fuit vocata, eiusque rationes inueſtigemus. Has nemo mihi rectius explicaſſe videtur FELICE ipſo, quem AGOBARDVS q) docet, hæc interrogaſſe: *utrum chriſtus dominus in vtraque natura ſimiliter ſit filius dei, an diſſimiliter*, ac reſpondiſſe: *non ſimiliter, ſed diſſimiliter*: porro, *quo ordine id fiat*, quæſiuiſſe ac reſpondiſſe: *quia ſicut in ſe continet duas naturas, id eſt, diuinitatis ſuæ et humanitatis noſtræ; ita duobus modis vnus creditur dei filius*: tum quæſiuiſſe: *quibus modis?* et ſubieciſſe: *ſecundum diuinitatis eſſentiam natura, veritate, proprietate, genere, natiuitate atque ſubſtantia; iuxta humanitatem vero non natura; ſed gratia, electione, voluntate, placito, prædeſtinatione, adſumtione*, et cetera. Ex his patet, FELICEM non de concreto perſonæ; nec de concreto diuinæ naturæ; ſed de concreto humanæ naturæ hæc dicere: eum concedere, non ſolum de concreto perſonæ ac de concreto diuinæ naturæ; ſed

q) *cap.* XVI p. 17.

ſed etiam de concreto humanæ naturæ recte dici, quod ſit filius dei: eum non male negare, concretum humanæ naturæ eodem modo, quo concretum diuinæ naturæ, eſſe filium dei; at male diſcrimen declaraſſe verbo *adoptionis*, ſiquidem melius dixiſſet, chriſtum deum dei per ſe eſſe filium; chriſtum vero hominem eſſe filium dei propter vnionem. Id vnum addimus, FELICEM non ἀλλον και ἀλλον, nec ἀλλο και ἀλλο, ſed ἀλλως και ἀλλως diſtinguere. Hæc ſi obſeruentur, facilius intelligentur effata, cum ELIPANDI; tum FELICIS, quæ recitandi, impoſitam mihi eſſe, ſentio, neceſſitatem. Primum locum obtinet pars *epiſtolæ*, quam ELIPANDVS ad Migetium dedit, ita expreſſa: *de filii namque perſona quod dicis, eo quod ſit ſecunda in trinitate perſona, quæ facta eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem et non ea, quæ genita a patre: ſi ita, vt tua delirat inſania: ergo filius dei de matre tantum exortus, quod dici, nefas eſt, et non de patre genitus eſt ſine initio.* Hanc enim vir celeberrimus, HENRICVS FLORVS [r]) de adoptianorum ſententia eſſe capiendam, diuinauit; ſed fefellit eum opinio. Quis, quæſo, non percipiat, confutari his verbis grauiſſimum errorem PHOTINI, qui chriſtum, antequam naſceretur homo, exſtitiſſe, negauit. Clarius eſt teſtimonium, quod ex BEATI et ETHERII commentariis deſumtum eſt [s]): *qui non fuerit confeſſus ieſum chri-*

r) *loc. cit.* p. 553.
s) *libr.* I p. 310.

chriſtum adoptiuum humanitate et nequaquam adoptiuum diuinitate, et hæreticus eſt; et exterminetur. ALCVINVS FELICEM quidem generatim reprehendit [t]), quod chriſtum *in duos filios, alterum proprium; alterum adoptiuum* diuidat, hoc eſt, ſtatuat, chriſtum ſecundum diuinam naturam eſſe filium dei proprium; ſecundum humanam adoptiuum. Alibi exhibet hæc FELICIS verba, digna certe, ad quæ animum referamus [u]): *certe idem redemptor noſter in forma humanitatis, vt ſacra eloquia teſtantur, filius Dauid eſt et filius dei. Quod vtrumque verum eſt. Quod tamen non abſurde quærendum eſt, quomodo in eum vtrumque conueniat? Neque enim fieri poteſt, vt vnus filius naturaliter duos patres habere poſſit: vnum tamen per naturam, alterum per adoptionem.* Paucis interpoſitis, addit hoc FELICIS argumentum [x]): *igitur ſi adoptionis nomen in chriſto domino ſecundum carnem claro apertoque ſermone in vtroque teſtamento, vt vos contenditis reperire nequimus; cetera tamen omnia, quæ adoptionis verbo conueniunt, in diuinis libris perſpicue atque manifeſte, multis modis reperiuntur. Nam quid, quæſo, eſt cuilibet filio adoptio; niſi ſuſceptio, niſi placitum, ſeu adplicatio? Quæ vniuerſa nullo modo proprio ac vero filio conuenire queunt. Si quis vero in chriſti humanitate adoptionis gratiam negare vult, ſimul cuncta,* quæ

t) *libr.* I *contra Felic.* p. 787.
u) *libr.* II p. 820.
x) *libr.* III p. 827.

quae dicta, cum eadem adoptione negare in eo ſtudeat. Alibi ſcribit [y]), FELICIS eſſe ſententiam, *propter adſumtionem chriſtum eſſe adoptiuum.* Ex longiori ELIPANDI ad ALCVINVM epiſtola hæc notari libet effata: *quod adſeris, nullam carnis adoptionem in filio dei ſecundum formam ſerui de glorioſa dei virgine ſuſcepiſſe, non vera perſequeris* [z]:) *æqualitas illa*, inter chriſtum et gentem Iſraeliticam, quæ itidem *filius dei primogenitus* a diuinis vatibus adpellari ſolet, *non eſt in diuinitate; ſed in ſola humanitate et in carnis adoptione, quam accepit de virgine, ipſe vnus idemque deus et homo in duabus naturis et vna perſona, ſalua diuinitate, exitium ſuſtulit mortis* [a]): et paucis interiectis: *ſi ſecundum humanitatem filius eſt Dauid, ſine dubio de adoptiuo et ſeruo dei patris et ipſius filii, et ſpiritus ſancti adoptiuus ſecundum humanitatem et ſeruus eſſe creditur* [b]). Ne nimis longa ſit oratio noſtra, tacemus de epiſtola ad Carolum, quam integram ſupra deſcripſimus, et progredimur ad PAVLLINVM, cuius monimenta itidem nonnulla, quæ ad hunc locum pertinent, ſuppeditant teſtimonia. Inter alia monet, FELICEM *adſumendi* et *adoptandi* verbis eamdem tribuiſſe ſignificandi vim [c]). Alibi [d]) docet, eumdem FELICEM ex eo, quod

 chri-

y) in *epiſtol. ad Elip.* p. 902.
z) p. 911.
a) p. 915.
b) p. 916.
c) *libr.* I *contra Felic. cap.* 22 p. 113.
d) *libr.* I *cap.* 28 p. 116.

chriſtus ſit membrum corporis myſtici, cuius partes; ſiue membra ſunt pii homines, concluſiſſe, eum, perinde vt hos, debuiſſe *adoptionis* iure fieri filium dei. Eodem modo e) ex verbis: *deus erat cum illo, act.* X, 38. argumentatus eſt, chriſtum hominem non fuiſſe ipſum filium dei: ad quod argumentum, licet non leuis momenti ſit, miror PAVLLINVM parum apte reſpondiſſe atque obieciſſe tantummodo vnitatem perſonæ chriſti, de qua FELIX nunquam dubitauerat. Nec melius Aquileienſis f) de loco PAVLLI: *deus erat in chriſto* reſpondit, licet nec diffiteri, pigeat, male quoque FELICEM ex his et ſimilibus dictis eſſe ratiocinatum. Quamuis porro obſcura eſſe, putet PAVLLINVS g), quæ ſcripſerat FELIX: *proprium filium habitare in adoptiuo*; luculenta tamen ſunt, eumque niſi a Neſtorianiſmi; tamen ab Arianiſmi ſuſpicione iubent abſolui, licet nec Neſtorianiſmi adcuſari, fas ſit, loquendi formulam, diui PAVLLI vſu confirmatam. Ea denique, quæ de precibus chriſti pro auertendo calice FELIX dixerat, non prorſus condemnanda ſunt; PAVLLINVS certe haud adcurate confutauit h). Ieiuna enim eſt interpretatio, rogaſſe chriſtum, vt mala a piis hominibus auerterentur. Neque intellexit PAVLLINVS, impoſitum

e) *libr.* I cap. 34 p. 120.
f) *lib.* II *cap.* 3 p. 140.
g) *libr.* II *cap.* 10 p. 145.
h) *libr.* III *cap.* 4 p. 140.

ſitum ei fuiſſe officium, ad tollendam FELICIS dubitationem, demonſtrandi, liberrimæ chriſti voluntati, pro hominibus moriendi, preces illas haud fuiſſe contrarias. Idem PAVLLINVS et cum eo coniuncti, ceteri Italiæ præſules, controuerſiæ de filio dei adoptiuo rationes ita exponunt [i]): *adſtruunt igitur; ſed falſis adſertionibus, dominum noſtrum Ieſum chriſtum adoptiuum dei filium de virgine natum: quod diuinis nequeunt adprobare documentis. Hæc igitur dicentes, aut in vtero virginis eum ſuſpicantur adoptatum, quod dici, nefas eſt; quia de beata virgine inenarrabiliter ſumſit, non adoptauit carnem; aut certe purum eum hominem ſine deo natum, quod cogitare impium eſt, neceſſe eſt.* At neutrum dixerunt ELIPANDVS ac FELIX. Hinc patet, quam vana fuerit omnis diſputatio, contra illos ſuſcepta. Melius ſibi proſpexerunt Germani et Galli, quibus acceptum ferimus, quod nonnulla recitarunt epiſtolæ Elipandinæ loca, quæ ad declarandam eius ſententiam pertinent. Hæc vero ſunt: *credimus et confitemur, deum, dei filium, ante omnia tempora ſine initio ex patre genitum, coæternum, et conſubſtantialem, non adoptione, ſed genere. Confitemur et credimus eum factum ex muliere: factum ſub lege, non genere eſſe filium dei; ſed adoptione; non natura; ſed gratia* [k]): et nonnullis interpoſitis: *ex patre vnigenitum ſine adoptione: primogenitum*

i) in *ſacroſyllab.* p. 874 edit. HARDVINI.
k) conf. HARDVINI *concil. tom.* IV p. 883.

tum in fine temporis, verum hominem adſumendo de virgine, carnis adoptione: vnigenitum in natura; primogenitum in adoptione et gratia [l]). Hanc diſtinctionem inter filium dei vnigenitum et primogenitum nimis eſſe ſubtilem, nemo non videt. LEO III. merito reprehendendus eſt, quod quum traderet [m]) FELICEM *adſerere chriſtum ieſum dominum noſtrum nec filium dei verum; nec etiam verum deum; ſed nuncupatiuum*, non ſolum falſa narrat; ſed etiam FELICI iniuriam infert non leuiſſimam, ſiquidem ea de concreto perſonæ effert, quæ FELIX nonniſi de concreto naturæ humanæ intelligi voluit. Quum FELIX in concilio Aquisgranenſi doctrinæ formulam ederet, priſtinis eius opinionibus oppoſitam, dogma de adoptione luculenter expoſuit; neque inepte veriorem ſententiam expreſſit, eſſe vnum filium dei eumque proprium propter vnionem perſonalem [n]). At poſtquam rediit ad ſententiam de adoptione, eum in illa nihil mutaſſe, ex iis, quæ antea ex AGOBARDI commentariis adlata ſunt, abunde cognoſcitur. Hæc ſufficiunt ad perſpiciendam ELIPANDI ac FELICIS de adoptione chriſti hominis doctrinam. Quam quum aduerſarii eius parum recte perciperent; nec valerent ad diiudicanda erroris principia, aut iuſte omnia, quæ in controuerſiam vocabantur, declaranda et perſpicue

l) p. 885.
m) *loc. cit.* p. 927.
n) *loc. cit.* p. 930.

ſpicue exprimenda, mirum ſane quantum a recta via diſputandi declinarunt. Modo laborarunt in comprobanda doctrina de chriſto vero deo: modo negabant, recte chriſtum in duos filios diuidi. Hæc omnia aberant a propoſito. Aliis ſatis fuit, reiicere et damnare ſententiam FELICIS, nulla addita cauſa, cur minus placeat. Plerique conueniunt, chriſtum ſecundum vtramque naturam eſſe non ſolum verum, ſed etiam naturalem filium dei. Quod ſi putarunt, eodem modo, quo concretum diuinæ naturæ, etiam concretum humanæ naturæ eſſe filium dei naturalem, eos perinde ſcripturæ ſacræ repugnaſſe, poſtea probandi locus erit. Cuncta hæc ex BEATI et ETHERII, ALCVINI, PAVLLINI, BENEDICTI, AGOBARDI monimentis actisque *conciliorum*, quæ iam perſequuti ſumus, facili negotio poſſunt intelligi, vt teſtimoniis deſcribendis merito abſtineamus.

VIIII.

PROGREDIMVR ad alia et monemus. II) grauiſſimum fuiſſe ELIPANDI ac FELICIS de *regeneratione chriſti* errorem. Nulla quidem habemus expreſſa eorum teſtimonia; bina tamen loca ALCVINI rem ponunt ſupra omnem dubitationem. Ex altero o) intelligimus, FELICEM hac vſum eſſe argumentatione: chriſtum eſſe caput hominum, qui adoptionis iura per baptiſmum conſequuntur: ergo nec ſolum eamdem debuiſſe conſequi adoptionem;

o) *libr.* II *contra Felic.* p. 815 ſqq.

nem; ſed etiam opus habuiſſe baptiſmo: atqui per baptiſmum nos regeneramur, ergo etiam chriſtum fuiſſe regeneratum. Tacemus de variis argumentis, ad rem ineptam probandam parum adcommodatis. Alterum rei maiorem lucem adfert. Poſtquam ALCVINVS p) haec ſcripſit: *dicit quoque idem vir venerabilis, Felix, quod ſit per omnia æqualis nobis, niſi tantummodo, quod ſine peccato natus eſt*, atque addidit nonnullas diſcriminis, quod inter chriſtum aliosque homines conſtituerit FELIX, partes, tandem ſubiecit: *refert quoque eum baptiſmo indiguiſſe, volens, vt videtur, eum in baptiſmo adoptari, ſicut et nos.* Luculenta quoque hanc in rem exſtat PAVLLINI q) diſputatio, quam dum ita inſtituit, vt FELICEM fateri, cogat, ſe chriſtum habere pro filio irae, teſtatur ſimul, hunc tam male non ſenſiſſe. Quodſi haec omnia expendimus, facile cognoſcimus, ineptae huius formulae originem eſſe repetendam partim ex eo, quod ignorauerit FELIX veram *regenerationis* naturam, eamque idem cum adoptione eſſe, ſibi falſo perſuaſerit; partim ex peruerſa interpretatione hiſtoriae baptiſmi, quo chriſtus ſe voluit initiari. Verbis enim: *hic eſt filius meus dilectus Matth.* III, 17. deum patrem, putauit, chriſtum hominem adoptaſſe.

X. POR-

p) *libr.* II *ad Elip.* p. 904.
q) *libr.* I *cap.* 43 ſqq. p. 124 ſqq.

X.

PORRO in eumdem cenſum referendum eſt nomen *dei nuncupatiui*, quod Hiſpani noſtri chriſto tribuerunt. Inepta hac dicendi formulo vſos eſſe illos, quamue ei ſubiecerint notionem, facili negotio poteſt intelligi. ALCVINVS[r]) reprehendit FELICEM, quod diuiſerit chriſtum perinde in duos deos, *verum* alterum; alterum *nuncupatiuum;* vt in duos filios, alterum *proprium*; alterum *adoptiuum*. Quamuis certe nobis perſuadeamus, alienum fuiſſe FELICIS animum a diuiſione, cuius arguit eum ALCVINVS; concedamus tamen, oportet, eum ita locutum eſſe, vt concretum naturæ humanæ deum nuncupatiuum; concretum vero diuinæ naturæ verum deum eſſe ſtatuerit. Alibi dedit ipſa FELICIS verba[s]), ex quibus vera eius ſententia luculenter poteſt cognoſci. *Si enim illos*, inquit, *dixit deos, ad quos dei ſermo factus; qui tamen non natura, vt deus; ſed per dei gratiam ab eo, qui verus eſt deus, deificati dii ſunt, ſub illa vocati: in hoc quippe ordine dei filius dominus et redemptor noſter iuxta humanitatem, ſiquidem in natura; et in nomine, quamuis excellentius cunctis electis; veriſſime tamen cum illis communicat, ſicut et in cetera omnia, id eſt, in prædeſtinatione, in electione, in gratia, in ſuſceptione, in adſumtione nominis ſerui atque applicatione; ſeu cetera his ſimilia, vt idem, qui eſſentialiter cum patre et ſpiritu ſancto*

r) *libr.* I *contra Felic.* p. 781.
s) *libr.* IV p. 835.

ſancto in vnitate deitatis verus eſt deus, ipſe in forma humanitatis cum electis ſuis per adoptionis gratiam deificatus fieret et nuncupatiue deus. Ex his, niſi omnia nos fallant, colligitur, ſententiam FELICIS his potiſſimum partibus comprehendi: I) chriſtum, qua diuinam naturam ſpectatum, eſſe verum deum: II) de chriſto homine recte dici, quod ſit deus: III) quum fieri non poſſit, vt concretum humanæ naturæ, per ſe ſit deus, ſequi, eum non eſſentia; ſed nomine eſſe deum: IV) quum ſcriptura ſacra hominibus *μεταφορικως dei* nomen tribuit, huius adpellationis nullam eſſe aliam cauſſam; niſi quod per adoptionem ſint filii dei: V) ideo poſſe hoc nomine chriſtum cum piis hominibus comparari; VI) hac tamen lege, vt chriſtus eminentiori modo dicatur deus: Multa hæc admitti erronea, patet; nec dubitamus, iterum ab hoc errore liberari potuiſſe FELICEM, ſi diſtincte explicata ipſi fuiſſent communicationis idiomatum genera. Tum enim cognouiſſet, chriſtum; qui eſt homo, etiam eſſe deum, non per ſe, quatenus eſt homo; ſed propter vnionem vtriusque naturæ, quam licet non ignorauerit; præcipuam tamen eius vim, quæ in communicatione idiomatum poſita eſt, penitus videtur ignoraſſe. Addimus aliud FELICIS effatum, cuius idem ALCVINVS †) cuſtos eſt: *qui ſuſceptus eſt, cum eo, qui ſuſcepit, connuncupatur deus.* Confirmantur hæc PAVLLI-

NI

†) *libr.* VII p. 882.

NI [n]) effatis, quibus eiusdem FELICIS erroris iniecit mentionem, eumque confutauit, licet, perinde vt ALCVINVS, omnia ad Neſtorianam perſonæ diuiſionem male reuocare ſtudeat. In concilio Romano LEO III ſimili modo veram FELICIS ſententiam male ita expreſſit [x]), *chriſtum nec verum deum; ſed nuncupatiuum*, ſiquidem non de concreto perſonæ: ſed de concreto humanæ naturæ loquutus eſt FELIX. Cum hoc de hac re conſenſiſſe ELIPANDVM, licet non certum; tamen probabile eſt.

XI.

QVÆ IV) de *ſeruitute chriſti* docuere, ea nequeunt a nobis negligi, propterea quod cohærent cum diſputatione de adoptione. Liceat tamen breuitati inſeruire lectoresque, qui plura cupiunt, ad DIONYS. PETAVIVM [y]), THEOPH. RAYNAVDVM [z]), IO. GEORG. DORSCHEVM [a]), IO. TRELLVNDIVM [b]) et CHRIST. MATTH. PFAFFIVM [c]) ablegare. Quum ELIPANDVS et FELIX cognitum haberent, diuinos ſcriptores vtriusque fœderis ſæpiſſime chriſtum adpellare *ſeruum dei*, commodam ſibi videbantur nacti eſſe occaſionem, ſuæ

n) *epiſt. ad Carol.* p. 96 *libr.* I *cap.* 36 p. 124 et *cap.* 41 p. 125.
x) conf. HARDVINI *concil. tom.* IV p. 927.
y) *dogmat. theol de incarnat. libr.* VII *cap.* 9 §. 10 ſqq.
z) *tom.* II *oper.* p 78 ſqq.
a) *collat. in concil. Francof.* p. 120.
b) in *diſſ. de hæreſi Felic.* p. 390.
c) in luculenta *diſſert. de chriſto ſeruo.*

ſuæ de adoptione ſententiæ repetendi ex illo nomine præſidia. Conſtituebant ergo, *ſeruitutem chriſti*, ſiue vti loquebantur, *formam ſerui* eſſe eſſentiale quaſi attributum naturæ humanæ, ideoque chriſtum non ſolum factum eſſe hominem; ſed etiam natum ſeruum: quia mater eiusque maiores fuerint ancillæ et ſerui dei, non potuiſſe fieri, quin chriſtus vna cum natura humana adſumeret formam ſerui, ſiue ſtatum ſeruilem, atque concludebant, ei, vt tranſiret ex ſtatu ſeruitutis in ſtatum filii, opus fuiſſe adoptione, quam conſequutus ſit per baptiſmum. Hæc patent ex eorum effatis, quæ ad nos peruenerunt. ELIPANDVS expreſſe dicit d): *ecce, ipſe filius dei ſecundum formam ſerui, quam adſumſit ex virgine, in qua minor eſt patre et non eſt genere; ſed adoptione, adoptiuus dei primogenitus in multis fratribus, ſecundum apoſtolum. Quare non dicatur adoptiuus, qui ita totus eſt in noſtris, ſicut eſt in ſuis, præter delictum? Ecce Ioachim, cuius filia glorioſa dei virgo Maria eſſe dignoſcitur: adoptiua eſſe creditur. Quare non dicatur adoptiuus dominus Ieſus chriſtus, de eadem generatus?* Item: *ſi ſecundum humanitatem filius eſt Dauid, ſine dubio de adoptiuo et ſeruo dei patris et ipſius filii et ſpiritus ſancti adoptiuus ſecundum humanitatem et ſeruus eſſe creditur. Adoptiuum dicimus in ſola forma ſeruitutis humanæ, non in gloria; vel ſubſtantia diuinæ naturæ.* Cum ELIPANDO eadem ſenſiſſe FELICEM, itidem

AL-

d) *epiſtol. ad Alcuin.* p. 912.

ALCVINVS [e]) perhibet. Tradit enim, FELICEM docuiſſe, quod chriſtus *ex vtero matris formatus ſit ſeruus.* Quamuis hæc ſatis demonſtrent, ELIPANDVM et FELICEM de ſeruitute ea ſibi aliisque perſuaſiſſe, quæ falſa ſunt et perſona chriſti plane indigna; fatendum tamen eſt, eos, qui his ſe oppoſuere, perinde a veritate receſſiſſe. Etenim quum concedere eos oportuiſſet, chriſtum eſſe ſeruum dei, ſeruitutis vero rationes non in natura humana, in ſe ſpectata; ſed in officio mediatorio eſſe poſitas eiusque originem non ex ortu humanæ naturæ; ſed ex pacto patris cum filio de redimendo hominum genere repetendam: plane illi negarunt, chriſtum recte vmquam dici ſeruum. Turpis huius diuinorum oraculorum ignorantiæ ſpecimen inprimis dedit ADRIANVS pontifex Romanus [f]) comprobauitque ſuo exemplo, neque Romanorum præſules ab omni errandi periculo eſſe liberos [g]).

XII.

DENIQVE V) de *ignorantia chriſti* inter FELICEM et ALCVINVM AGOBARDVMque fuit diſceptatio. ALCVINVS quidem non ſolum obſeruat [h]), FELICEM chriſto, in quantum homo eſt, denegaſſe cognitionem diei iudi-

e) *libr.* V *contra Felic* p 844.
f) HARDVINI *concil, tom.* IV p. 867.
g) conf. GE. CALIXTI *faſcic. de perſon. chriſti* p. III.
h) *libr.* V *contra Felic.* p. 860.

iudicii extremi, ſed exhibet etiam eius verba: *ipſe eſt enim, qui ſecundum præſcientiam deitatis diem iudicii per prophetam prædixit: dies enim vltionis in corde meo: annus redemptionis meæ venit. Ipſe nihilominus eſt propter humanitatis naturam, qui in euangelio proteſtatur: de die autem illa et hora nemo ſcit, neque angeli; neque filius; niſi pater ſolus.* Hinc recte concluditur, FELICEM non negaſſe, concretum perſonæ ſciuiſſe diem iudicii; neque eiusdem rei ſcientiam abdicaſſe concreto naturæ diuinæ; ſed tantummodo concreto humanæ naturæ, abſolute atque extra vnionem cum diuina ſpectato. Qua quidem in re melius ſibi conſuluiſſet, ſi temporis iudicii ignorantiam, quam chriſtus ſibi ipſe tribuit, non retuliſſet ad naturam humanam, quæ non ſolum numquam non fuit cum diuina coniuncta; verum etiam omniſcientiam, tamquam attributum ἐνεργητικον ſemper habuit; ſed ad chriſtum hominem, in ſtatu exinanitionis conſtitutum, qui effecit, vt ſe ab vſu omniſcientiæ, quæ humanæ naturæ fuit communicata, abſtineret. At vero magis friuola ſunt, quæ, AGOBARDVS narrat [i]), FELICEM de ignorantia chriſti hominis tradidiſſe. Quæſtiones enim, a chriſto propoſitas, cum ſororibus Lazari de loco ſepulcri, in quo corpus mortui eſſet poſitum: tum diſcipulis Emaunticis de colloquii argumento; tum etiam Petro de amore erga chriſtum eiusque magnitudine. Quam falſa enim ſit opinio, omnium

i) *aduerſ. Felic. cap.* V p. 7.

omnium quæſtionum cauſſam eſſe alicuius rei, ignorationem, tum vſu experimur quotidiano; tum exemplo ſummi numinis, qui in ſacris litteris toties legitur ex hominibus interrogaſſe, quæ non poterant ipſi eſſe non cognita.

XIII.

SATIS itaque nobis videmur de dogmatibus ELIPANDI et FELICIS dixiſſe; nec dubitamus, ſufficere hæc tum ad abſoluendos illos ab errorum Arii ac Neſtorii ſuſpicione; quam ad confutandam illorum ſententiam, qui omnem controuerſiam inter λογομαχιας retulere. Non poſſunt, quin a veritate diſcedant, quicumque diſputationem, a FELICE atque ELIPANDO ſuſceptam, ad doctrinam de perſona chriſti; aut vnione vtriusque naturæ perſonali referunt. Errores, quos illos fouiſſe, diximus, in eo omnes conueniunt, quod de concreto humanæ naturæ eiusque ſtatu exinanitionis parum adcurate ſenſerunt. Quod ſi enim rite intellexiſſent, non ſolum chriſtum habuiſſe veram humanam naturam, cum diuina perſonali vinculo ſemper coniunctam, id quod bene crediderunt; ſed etiam per hanc vnionem communia fuiſſe inter vtramque naturam idiomata vtriusque naturæ, atque humanæ naturæ non ſolum ἀναμαρτησιαν, quam itidem conceſſere; verum etiam idiomata diuina ἐνεργητικα recte tribui, ab inanibus illis quæſtionibus atque ineptis dicendi formulis ſe abſtinuiſſent. Sententiarum vero, quas

Q ample-

amplexi ſunt, hic fuiſſe videtur nexus: I) chriſtum eſſe verum deum ac verum hominem: II) arctiſſimum inter vtramque naturam intercedere vinculum, vt ipſe ſit vna ὑποςασις: III) recte dici, filium dei eſſe filium hominis perinde ac filium hominis eſſe filium dei: IIII) quum nequeat dici, filium hominis eſſe filium dei per æternam generationem, ſiquidem non ſit ex eſſentia patris genitus, id, per quod filius hominis ſit filius dei, *adoptionis* nomine eſſe exprimendum: V) ideo concretum humanæ naturæ eſſe filium dei adoptiuum: VI) hanc adoptionem eſſe voluntatem dei, vt concretum humanæ naturæ cum concreto diuinæ naturæ eodem vtatur *filii dei* nomine iisdemque fruatur iuribus: VII) hanc diuinam voluntatem eſſe declaratam in baptiſmo ideoque eam quoque dici poſſe *regenerationem*: VIII) concretum humanæ naturæ, tamquam creaturam atque hominem, ab hominibus exortum, fuiſſe ſeruum: VIIII) per adoptionem tranſiiſſe ex ſtatu ſeruitutis in ſtatum filii: X) adoptionem chriſti adoptioni piorum eſſe ſimilem; hac tamen lege, vt ille omni caruerit peccato: XI) ſi de chriſto homine dicatur[l], quod ſit *deus*, hæc non capienda eſſe de eſſentia; ſed de nomine, quod commune ſit vtrique naturæ: XII) ideo nec duos deos; nec duos filios fingendos, quia ſit vna perſona.

CAPVT

CAPVT III.

QVO

HISTORIA ADOPTIANORVM INDE A CAROLI MAGNI AETATE VSQVE AD NOSTA TEMPORA EXPONITVR.

I.

QVAMVIS finita fuerit controuerſia ELIPANDI ac FELICIS; nec tamen ſententia, quam tuebantur, de adoptione chriſti penitus ſublata, atque vna cum illorum corporibus fuit ſepulta. *Adoptionis* nomen, cui nouam illi ſubiecerant notionem, nonnullis tot patrum veterum vſu videbatur commendatum; aliis vero omnis erroris expers et ad vindicandum chriſto homini ſupremum filii dei honorem, ita adcommodatum, vt illuſtres ciuitatis chriſtianæ doctores, qui Carolo magno ætate fuere inferiores, modo denuo eo vterentur; modo publice cauſſam illius ſuſciperent agendam aliique, vt his contradicerent, veritatis ſtudio commouerentur. Quos quum percenſere lubet, temporis ordinem, quantum fieri poteſt, tenere, hiſtoriæ ſcribendæ leges nos iubent.

II.

QVANTVM ſcimus, primus poſt ELIPANDVM et FELICEM adoptionem chriſto tribuit OCVMENIVS, ignarus forte rerum,

in occidente de hac voce geſtarum. DIONYS. PETAVIVS [a]) excitauit illius effatum, quo PAVLLI [b]) de chriſto verba: ἐδικαιωθη ἐν πνευματι, ita explicauit [c]): *Λεγει ὀυν ει και τας νομικας ἐπληρου δικαιοσυνας, ἀλλ' ὀυτω της δουλειας πνευματι, (πως γαρ ὁ και τους ἀλλους ἐλευθερων;) ἀλλα τω ἁγιω πνευματι της ὑιοθεσιας, ὁπερ ἐλαβε κατα το ἀνθρωπινον, ἡμιν το δωρον προξενων ὁ γνησιος ὑιος και ὁμοουσιος τω πνευματι, και ουχ ἑαυτω,* id eſt, *hoc ſibi vult, etſi legales implebat iuſtitias, non tamen ex ſeruitutis ſpiritu: quomodo enim id faceret ille, qui alios libertate donabat? verum ſpiritu ſancto, qui adoptionis dicitur: quem ſecundum id, quod homo erat, accepit, nobis donum hoc concilians germanus filius ac ſpiritui ſancto conſubſtantialis; non autem ſibimetipſi.* Incaute hæc prolata eſſe; nec ſolum veram legati diuini ſententiam minus recte exprimere; verum etiam nullis ſcripturæ ſacræ teſtimoniis poſſe defendi, nemo non intelligit. Chriſto quidem ſecundum humanam naturam per vnctionem dona ſpiritus ſancti, ad perficiendum meſſiæ officium neceſſaria, eſſe tributa hæcque non diuinæ naturæ, quæ nihil potuit accipere; ſed humanæ collata: chriſtum denique verum deum patrique et ſpiritui ſancto eſſe ὁμοουσιον, præclare docet OECVMENIVS; at dona iſta minus adcurate πνευμα ὑιοθεσιας adpellauit. Quamuis

a) *dogmat. theol. de incarn. libr.* VII *cap.* 4 §. 3.
b) *1 Tim.* III, 16.
c) *comm. in I ep. ad Tim. tom.* II *oper.* p. 228.

uis enim idem ſit ſpiritus, cuius donis ornata fuit humana chriſti natura piique homines ornantur; nihil tamen obſtat, quo minus varia ſint dona, quæ idem ſpiritus largiatur. Dona, quæ vnctionis nomine ſolent ſignificari, chriſto et piis hominibus, ſeruato gradus diſcrimine, eſſe communia, æque certum eſt; ac την ὑιοθεσιαν inter illa eſſe numerandam, numquam poſſe probari. *Adoptio* fidelium eſt effectus iuſtificationis; *vnctio* vero pertinet ad ſanctificationem. Quicumque habent ſpiritum adoptionis; illi ſunt filii dei adoptiui. Conſequens ergo eſſet, ſi admittatur OECVMENII formula, chriſtum perinde, vti nos, eſſe adoptatum.

III.

EX doctoribus, qui ſeculo vndecimo eruditionis laude floruere, neminem, meminimus chriſtum adpellare *filium dei adoptiuum.* At ſeculo duodecimo in orientis prouinciis magna et exiſtimatione, et auctoritate valuit EVTHYMIVS *Zigabenus*, cui non poſſumus non inter eos locum concedere, qui adoptionis nomen ad chriſtum hominem transferre audent; niſi alii adſcribendum ſit effatum, ex quo EVTHYMIVS id more ſuo in πανοπλιαν ſuam tranſtulit. Quum is in propoſitionibus perſonalibus [d]): *chriſtus homo eſt deus et dei filius*

 eſt

d) *panopl. part.* I *tit.* 7 p. 48 *tom.* XIX *biblioth. max. patr.* Lugdun.

eſt homo, explicandis verſatur, hæc pronunciat: *deus per naturam factus eſt homo; homo autem per gratiam deus.* Ita FRANCISC. ZINVS hæc græca expreſſit: ὁ μεν Φυσει γεγονεν ἀνθρωπος, ὁ δε θεσει θεος. Sic opponi, intelligimus Φυσιν et θεσιν, *naturam* et *adoptionem.* At non leuis eſt dubitatio de vera EVTHYMII ſententia, maxime quia verba: *christum deum factum eſſe, natura hominem,* ſubobſcura ſunt, vt plane nullam admittere videantur interpretationem. Benignior EVTHYMIO eſt PETAVII e) coniectura, vtramque propoſitionem ita explicantis, vt diuinam naturam ſua virtute, quæ ipſi naturalis eſt, cum humana ſe coniunxiſſe, humanam vero, quum ſupra naturales eius vires eſſet poſitum; diuina tantum voluntate cum diuina fuiſſe copulatam, ſignificet. Vtcumque ſit, id certum eſt, parum caute hæc fuiſſe pronuntiata et rectiora eſſe, quæ apud eumdem EVTHYMIVM, paucis interpoſitis ſunt adiecta, hæc verba f): και το προσλημμα ἐξ αὐτης της ἑνωσεως ἐθεωθη, *quod adſumtum eſt, ex ipſa vnitione fuiſſe deum factum;* ſiue vnionem inter vtramque naturam hypoſtaticam effeciſſe, vt diuina idiomata humanæ ſint communia.

IIII. EA-

e) vid. PETAVIVM *loc. cit. libr.* IV *cap.* 9 §. 5 p. 286.

f) *loc. cit.*

IIII.

EADEM fere ætate in Germania noſtra nonnullas turbas excitauit FOLMARVS g), Triefenſteinenſis monaſterii, quod in Franconia ſitum ſubiectumque Herbipolitani præſulis poteſtati, præpoſitus. Mittere liceat errores de ſacra coena, illi obiectos. Satis erit, quid de adoptione christi ſenſerit, paullo adcuratius expendere. Nihil quidem, ab ipſo de hac re ſcriptum, ad nos translatum fuit; neque id mirum, ſiquidem paucæ modo ſuperſunt illius *epiſtolæ* h), in quibus ne vnum quidem verbum de christo filio dei factum eſt. Neceſſitas ergo nos cogit, ex eorum, qui FOLMARO reſtiterunt, monimentis ea repetere, quæ ad hunc locum pertinent. Primum ex illis eſſe volumus ADAMVM, decanum cœnobii Reichersbergenſis, qui vaſtum opus licet contra FOLMARVM conſcripſerit; tamen breues modo illius partes cura PETRI STEVARTII i), et poſtea IAC. BASNAGII k) typis fuere exaratæ. Inter has non-

g) legas GVIL. CAVEVM *hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſ. tom.* II p. 234. et IOANN. ALB. FABRICIVM *biblioth. Latin. med. et infimæ ætatis* p. 516 ſqq.

h) *epiſtolæ* FOLMARI a GRETSERO in lucem editæ, exſtant *tom.* XXV *biblioth. max. patr.* Lugdun. p. 312 ſqq.

i) in *ſyllog. veter. ſcr.* p 243.

k) in *theſ. monim. eccleſ. tom.* III *part.* 2 p. 200 ſqq. Exſtat etiam in laudata *biblioth. patr. tom.* XXIII p. 240.

nulla ſunt, quæ huc referantur. Qualia ſunt, de FOLMARO dicta: *dicens eum, videlicet chriſtum, in eo, quod homo eſt, non aliter eſſe filium dei; quam vnum ex nobis:* item: *non incidemus in id, in quod nos præcipitare molitur, contra deum negationis barathrum, vt cum ipſo in dominum Ieſum dicamus blasphemiam, vt negemus, hominem adſumtum in deum, eſſe deum: eſſe proprium dei patris filium:* paucisque interpoſitis: *ſuadere eum hominibus, quod homo ille, in deum adſumtus, dei patris naturalis et proprius filius non ſit*, ac peius Neſtorio de cultu, chriſto homini præſtando ſtatuere: denique et argumentum FOLMARI memoratur, tam abſonum ac ſanctiſſima chriſti perſona indignum, vt religioni nobis ducamus, illud repetere. ADAMO addimus GERHOHVM *l*), itidem monaſterii Reichersbergenſis monachorum domicilii præpoſitum variisque, quæ reliquit, ingenii monimentis illuſtrem, cui præcipue cum FOLMARO interceſſit controuerſia. Deſcribenda ſunt nonnulla illius de hac re teſtimonia. Exſtat vero GERHOHI *de gloria et honore filii hominis* opuſculum *m*), ad defendendas binas, quas alibi

l) GERHOHVM ſedulo poſteritati commendant *annal. Reichersbergenſes*, denuo editi a IO. PETR. DE LVDEWIG *tom.* II *ſcript. Bamb.* p. 226 adde CAS. OVDINVM de *ſcript. eccl. tom.* II p. 1427 BERN. PEZIVM *præfat. tom.* I *anecdot.* p. LXVIII et FABRICIVM *loc. cit. tom.* III p. 319.

m) editum a BERN. PEZIO *theſ. anecd. tom.* I *part.* 2 p. 166 ſqq.

alibi propoſuerat, ſententias, ab aliis in ſuſpicionem erroris vocatas, quarum altera eſt: *chriſtus homo eſt in gloria patris;* altera: *ipſe homo eſt filius patris naturalis et vnicus.* Poſteriorem *adoptianorum* eſſe oppoſitam doctrinæ, non ſolum per ſe patet, verum etiam haud obſcure ſignificant hæc eius verba [n]): *ita in diebus noſtris reuiret Neſtorius, diuidens chriſtum in duos filios, hominem et deum, alterum de virgine; alterum de deo patre generatum. Ac proinde hominem filium hominis naturalem, a deo adoptatum in filium, aiunt huius temporis Neſtoriani; nec eſſe in gloria patris; nec habere nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Addit poſtea, Neſtorianos illos, vti vocat, prouocaſſe ad auctoritatem GIESELBERTI. Quisnam ſit ille GIESELBERTVS, coniectura ſi diuinare licet, idem eſſe videtur cum GILBERTO *Porretano*, celeberrimo eiusdem ſeculi doctore. Hunc inter adoptianos retulerat DIONYSIVS PETAVIVS [o]); nullum tamen attulit teſtimonium, rei comprobandæ idoneum. Ea enim quæ alibi [p]) ex GAVFREDI *epiſtola* deſcripſit, eum de perſona chriſti minus recte ſtatuiſſe, ſatis probant; at de adoptionis nomine ſilent. Quare adductus fuit IO. TRELLVNDIVS [q]), vt GILBERTVM ab iſto errore liberum fuiſſe

 atque

n) *cap.* I p. 172.
o) *dogm. theol. de incarn. libr.* VII *cap.* I §. I p. 325.
p) *ibid. libr.* XV *cap.* 3 §. 5 p. 290.
q) *diſſ. de Felic. hæreſ. ſect.* III §. 18.

atque immunem, pronuntiaret. Nihilominus ſi ea ſcripſit, quæ GERHOHVS noſter ex commentariis eius, qui iacent adhuc, tenebris oppreſſi, in bibliothecis, recitauit, rem omni dubitatione carere, certum eſt. Neſtoriano enim more inter vtramque chriſti naturam tantum interceſſiſſe diſcrimen, ſtatuit, vt quæ ipſe PAVLLVS de chriſto homine exaltato præcepit, ad ſolam diuinam naturam referat; nec filii nomen; nec diuinos honores chriſto homini recte tribui, ſtatuat; niſi illud ei *per adoptionem datum* eſſe, credatur, hisque addit: *adoptiuo deo non flectitur genu omne.* Verum redeamus ad GERHOHVM. Hic, multis diſputatis, quæ ab hoc loco aliena ſunt, iterum r) ad confutandam eorum, qui tempore illius chriſtum hominem filium dei adoptiuum dixere, ſententiam accedit; nec ſibi temperat; quin aperte eos Neſtorianos: immo Photinianos dicat. Poſtea doctrinam, quam ipſe amplectitur, haud male ita explicat, vt chriſtum ſecundum vtramque naturam filium dei verum, proprium et naturalem; ſecundum diuinam quidem *naturaliter*, ſecundum humanam *mirabiliter* eſſe, pronuntiet s). Omnia iſta in FOLMARVM dicta eſſe, ex aliis effatis cognoſcimus t), in quibus nomen eius expreſſum eſt. Præter hæc, multa docte eleganterque diſputauit veramque doctrinam de vnione

r) *cap.* VIII p. 197 ſqq.
s) *cap.* XI p. 210 ſqq.
t) *cap.* XIII p. 225. *cap.* XIV p. 227.

one vtriusque in chriſto naturæ perſonali et communione idiomatum, quæ inter illos fuit, ſatis adcurate explicauit, ita vt PETR. STEVARTIVS *) iudicaret, eum vna cum ADAMO, dum Neſtorianis reſiſterent, nimis ad Eutychianiſmum acceſſiſſe. At quum Eutychianiſmum *cum hodierna Lutheriſtarum vbiquitate* eumdem eſſe, adiecit, vberrimam nobis adtulit cauſſam, de ὀρθοδοξία GERHOHI præclare ſentiendi. Plura his de FOLMARO ad noſtram quidem notitiam haud peruenere. Quare neque audemus, quid de eius ſententia vere adfirmandum ſit, definire. Id vnum addimus, neque ADAMVM; nec GERHOHVM vllam feciſſe litis Felicianæ mentionem. Tanta fuit rerum, in ipſa Germania geſtarum, apud Germanos barbara illa ætate ignoratio.

V.

EADEM hiſtoriarum miſerabilis inſcitia in cauſſa fuit, vt ſcholaſticorum doctorum turba de hac quæſtione nimis inter ſe diſſideret. Quum homines illi omnem theologi laudem in diſputandi ac de rebus diuinis ſubtiliter philoſophandi arte repoſitam eſſe, ſibi perſuaderent, ac ſummam diligentiam in proponendis nouis quæſtionibus ſpinoſis et maximam partem inutilibus, collocarent, non potuerunt certe, quin de eo diſputarent, num chriſtus homo

*) *præf. fragmento*, quod paullo ante memorauimus, præmiſſa.

homo filius dei ſit naturalis; an adoptiuus *). Fuiſſe quidem inter illos, qui pro adoptione pugnarent; nec defuiſſe, qui quidquid in illis erat aut doctrinae, aut ingenii, ei opponerent, luculenta eorum comprobant effata. Quae omnia recitare, quum nimis longum foret. neque opus ſit, aliorum, qui diſſenſum ſcholaſticorum de hoc argumento notarunt, libros deſcribere; contexere libet, quantum fieri poteſt, breuem huius controuerſiae hiſtoriam. Qui inter primos ſcholaſticae theologiae auctores habetur, PETRVS LOMBARDVS y), non neglexit, inter ſententias ſuas hanc quoque reponere: *adoptiuus filius non eſt, quia prius fuit et poſtmodum adoptatus eſt in filium, ſicut nos dicimur filii adoptiui, quia quum nati fuerimus filii irae, per gratiam facti ſumus filii dei. Chriſtus vero numquam fuit non filius dei et ideo non eſt adoptiuus filius.* Haec PETRI verba memorabilia ſunt, non ſolum quod perſpicue declarant, eum alienum fuiſſe ab omni adoptianorum errore; ſed etiam quod veram controuerſiae ſcholaſticae de hac re originem explicant. Etenim quum poſt

LOM-

x) conſulas THOM. RAYNAVDVM *oper. tom.* II p. 48. GABR. VASQVESIVM in *3 part. Thom. tom.* II p. 698. IO. GEORG. DORSCHEVM *interuent. pro myſterio S. trinit.* p. 390 et *vindic. interuent.* p. 301. GEORG. CALIXTVM *faſcic. diſſ. de chriſto* p. 91 ſqq. CHR. NIFANIVM *oſtenſ. quod Carolus M. non fuerit papiſta tit.* VI §. 3 et 10. AD. QVENSTEDIVM *ſyſtem. theol. part.* III p. 150.

y *libr.* III *ſent. diſt.* 10.

LOMBARDVM nemo ſanctioris diſciplinæ capita, ex alio fonte; quam ex *ſententiis* magiſtri haurienda eſſe, putaret, neceſſitas quaſi fuit doctoribus, de adoptione diſceptandi. Quo maior autem iſta ætate fuit penes illos PETRI auctoritas, eo minus potuerunt a ſe impetrare, vt ab ipſo diſcederent. Communis fuit ergo ſeculo duodecimo ac decimo tertio ſcholaſticorum ſententia, chriſtum non eſſe filium dei adoptiuum, cui *interpretes ſententiarum* atque in his ALEXANDER *Alenſis*, THOMAS *Aquinas*, BONAVENTVRA et ALBERTVS *magnus* vno animo ſubſcripſerunt, eamque modo explicarunt: modo confirmarunt rationibus exquiſitis. Ex his THOMAS *) ita philoſophatur, vt parum ab Eutychianiſmo videatur recedere. Nihilominus ſenſim ducem ſuum relinquere ſententiamque, ei contrariam, cœpere amplecti. Temporis rationes ſuadent vt primum locum inter illos tribuamus IOANNI DVNSSCOTO, qui ita de hac re commentatus eſt, vt et hiſtoriæ ignorantiam proderet inſignem: et nonnulla adfirmaret, quæ priſci doctores in ELIPANDO et FELICE ſummopere reprehenderunt. Primo enim dicit: *ſancti negarunt, chriſtum eſſe filium adoptiuum propter hæreticos, qui ſolum dixerunt, eum filium adoptiuum et non naturalem.* Hæc ſi in FELICEM eiusque adſeclas dicta ſunt, vti nos quidem ſuſpicamur, longe abſunt a veritate. Deinde addit: *de virtute tamen vocis poteſt chriſtus*

z) *libr.* III *diſt.* 4 *quæſt.* I.

chriſtus dici filius adoptiuus dei, ſicut vnus alius homo, quia prius natura habuit naturam; quam ordinatur ad hereditatem, et ſic fuit ſufficienter extraneus. Atqui hic eſt ille tranſitus e ſtatu ſeruitutis in ſtatum filii, quem ELIPANDVS ac FELIX comminiſcebantur. Eadem tempeſtate ſumma doctrinæ laude floruit DVRANDVS A S. PORTIANO nouumque excogitauit adoptionis chriſti genus. Statuit enim, *chriſtum dici poſſe* cum additamento: *in quantum homo eſt, filium adoptiuum ſpiritus ſancti;* hac tamen lege, vt per adpropriationem ſpiritui ſancto id tribuatur, quod omnibus in trinitate perſonis, tamquam opus externum, ſit commune [a]). SCOTVM, magiſtrum ſuum, ſequutus eſt IOANNES DE BASSOLIS, RICHARDVS RADVLPHVS, PETRVS AREOLVS, IACOBVS ALMAINVS, et IOANNES MAIOR. Quem extremo loco nominauimus, ceteris ſubtilius philoſophatur. Reiicit enim hanc propoſitionem: *Chriſtus, ſecundum quod homo eſt, eſt filius Dei adoptiuus;* aliam vero, quam, dubito, ab illa vere eſſe diuerſam, atque ita expreſſam: *chriſtus ſecundum humanitatem habet adoptionem*: qua de re conſulas IO. FORBESIVM [b]).

VI.

HÆC diſſidia nouas inter recentiores pontificios excitarunt contentiones. Quum nimia ſit illorum de ſcholaſticorum præceptis exiſti-

a) conf. VASQVESIVM *loc. cit.* p. 698.
b) *inſtruct. theol. libr.* VI *cap.* 7 §. 7 p. 276.

exiſtimatio, editis in lucem a SVRIO concilii Francofurtenſis actis et ſancitis, quae perinde, tamquam a concilio conſtituta, pro veris ac diuinis habere eos oportet; ac ADRIANI potiſſimum Romani pontificis effata, non potuit ſieri, quin diſquirerent, quomodo Francofurtenſium decreta cum placitis DVRANDI et SCOTI, doctorum reſolutiſſimi ac ſubtilis, queant conciliari. Alii quidem tam impudentes fuerunt, vt plane nihil diſcriminis inter dogmata Francofurtenſium atque Adriani et ſententias ſcholaſticorum, qui adoptioni fauent, intercedere, ſibi perſuaderent. Quo loco numeroque habendus eſt THOM. RAYNAVDVS c). Falſo enim conſtituit, nihil praeter haereſin Neſtorianam in ELIPANDO et FELICE fuiſſe condemnatum. At coecum eſſe oportet, qui non intelligat, opinionem Felicianam eamdem eſſe, quam ſcholaſtici amplexi ſunt. Alii ſubtilius philoſophantur. Dubium eſſe, dicunt, quonam ſenſu adoptionem reiecerint priſci doctores. Ita ſentiunt CABRERA ac nonnulli alii, quos GABR. VASQVEZIVS d) feliciter diſputauit. Alii denique, atque in his FRANC. SVAREZ e) et ADAM TANNERVS f) doctrinam de adoptione; quia a pontifice et conciliis fuerit reſecta, eſſe quidem erroneam et falſam; at non haere-

c) *tom.* II *oper.* p. 48.
d) *diſp.* LXXXIX in 3 *part. Thom. cap.* VII p. 702.
e) *tom.* I in 3 *diſp.* 49 *ſect.* 2.
f) *tom.* IV diſp. 1 *qu.* 5 *dub.* 5.

hæreticam, hincque ſine noxa a ſcholaſticis traditam: immo totam quæſtionem non eſſe de fide. Quamuis ita de auctoritate concilii Francofurtenſis diſſentiant Romanenſes, in eo tamen conueniunt recentiore ætate, nullo modo chriſtum dici poſſe filium dei adoptiuum. Præter RAYNAVDVM et VASQVESIVM, a me laudatos, diligentius hoc argumentum tractarunt ſententiamque illam conquiſitis rationibus comprobarunt NATALIS ALEXANDER g) et DION. PETAVIVS h).

VII.

A QVO tempore purior chriſtiana doctrina in lucem reuocata fuit ac præſtantiſſimi viri in explicandis illius capitibus admirandam collocarunt diligentiam, neque noſtris theologis de adoptione chriſti ſemper eadem fuit ſententia. Proximo ſeculo de hac quæſtione variæ fuere contentiones, quas hoc loco enarrare iubent nos ſcriptionis huius leges. Primum ergo commemorare liceat GEORGIVM CALIXTVM, Helmſtadienſis academiæ theologum ſummopere celebratum. Is enim publicæ luci expoſuit i): *programma, feſto natiuitatis*

g) *hiſtor. eccleſ. ſec.* VIII *diſſ.* 7 p. 820.
h) *dogm. theol. de incarnat. libr.* VII *cap.* 1 ſqq. Addi poſſunt NIC. DE ORBELLIS, PETR. DE AQVILA, MARTINVS BECANVS, GREG. DE VALENTIA aliique laudati a IO. GEORG. DORSCHEO *collat. ad concil. Francof.* p. 141.
i) dedimus integram inſcriptionem primæ huius commen-

uitatis domini noſtri Ieſu Chriſti in academia Iulia anno CIↃIↃCXLIII *publice propoſitum, quo controuerſia: num chriſtus ſecundum carnem ſit filius dei; vel adoptiuus, excutitur et Romanus pontifex Hadrianus primus male definiiſſe conuincitur.* Libelli huius, in quo quisque ſummam, qua pollebat CALIXTVS, eruditionem, rerumque, in chriſtiana geſtarum ciuitate, notitiam admirandam conſpiciet, conſcribendi nullam aliam habuit cauſſam, quam vt HADRIANI primi ac patrum Francofurtenſium exemplo oſtenderet, inſigniter illos falli aliosque fallere, qui decreta conciliorum atque effata pontificum Romanorum tam certa atque ab omni errore aliena eſſe, ſibi perſuadent, vt illa cum oraculis diuinis vno eodemque loco habeant. Sumſit ergo ſibi, totius controuerſiæ *Felicianæ* originem et hiſtoriam ex antiquitatis monumentis eruere: quænam vera

mentationibus editionis, quæ notato anno Helmeſtadii in typographeo Calixtino litterarum formis fuit expreſſa ac ſex et dimidia plagulis forma quarta continetur. Quum CALIXTI filius, FRIDERICVS VLRICVS, patris ſui *de perſona chriſti domini et ſeruatoris noſtri programmatum et diſſertationum faſciculum* Helmſt. ann. CIↃIↃCLXIII in lucem emitteret, commentationem hanc iterum typis exprimendam curauit p. 96 - 131 adiecitque: *ad programma de adoptione chriſti adpendicem, hactenus ineditam, de Hormisda, Romano pontifice, damnante Ioannem Maxentium et ſocios monachos Scythas, adſerentes: vnum e trinitate crucifixum eſſe*, p. 133 - 144.

vera fuerit ELIPANDI ac FELICIS ſententia, disquirere, eamque ſine cauſſa ab HADRIANO et Francofurtenſibus fuiſſe damnatam, immo ab his de ſeruitute CHRISTI contra clariſſima ſcripturæ ſacræ teſtimonia iudicatum, oſtendere. Multa hanc in rem a CALIXTO fuiſſe docte atque eleganter diſputata, nemo negabit; niſi ipſe omnis doctrinæ et elegantiæ ſit expers. Noſtra intereſt, intelligere, quid ipſe de quæſtione noſtra ſenſerit. Quare hæc capita notamus, ab ipſo conſtituta: I) hanc propoſitionem: *chriſtus ſecundum diuinitatem eſt dei filius naturalis; ſecundum humanitatem non naturalis; ſed adoptiuus* [k]), prout in terminis ſuis iacet, neque abſolute; neque per conſequentiam eſſe Neſtorianam: II) hanc propoſitionem: *chriſtus, quatenus homo eſt, eſt filius dei naturalis*, vbi eius ſubiectum accipiatur ſpecificatiue, propter κοινωνιαν ἰδιωματων eſſe admittendam: III) eamdem, ſi capiatur reduplicatiue, vt ſenſus ſit: *chriſtus per et propter humanam ſuam naturam; ſiue ratione humanitatis, eſt filius dei naturalis*, eſſe falſam [l]): IV) nec recedendum eſſe a propria vocis *naturalis* ſignificandi virtute, quæ ea eſt, vt eum denotet, qui ex natura et ſubſtantia patris genitus ſit et proinde eamdem cum patre habeat naturam: id quod de humana chriſti natura nequeat adfirmari [m]):

V) *ado-*

k) §. XXXVI p. 118.
l) §. XXXVII.
m) §. XXXVIII.

V) *adoptionis* rationes has eſſe, vt filius adoptiuus *primum* ſit extraneus, ſecundum productionem generationis ſuæ: *deinde* gratia et beneuolentia filii nomen et ius conſequatur: *denique* hereditatis reddatur particeps [n]): VI) hæc omnia quum in humanam chriſti naturam cadant, non tamen excludunt filiationem diuinæ naturæ perinde vt propoſitio: *chriſtus eſt homo*, alteram: *chriſtus eſt deus*, non tollat [o]): VII) concedi tamen poſſe, adoptionem diuinam excellentiorem eſſe humana iisque carere, quæ imbecillitas humana in hac efficiat neceſſaria: hinc deum pro infinita ſua potentia eum, quem habere vult filium, arctius ſibi iungere poſſe; quam poteſt homo. Hoc generationis diuinæ exemplo, ſi cum humana comparetur, haud inepte illuſtratur exemplo [p]). Concludit tandem, totam quæſtionem eſſe difficilem ac parum habere vtilitatis [q]). Hæc a CALIXTO diſputata, licet non omni ex parte placeant nosque velimus eum a formula noua abſtinuiſſe; nec tamen ita fuere comparata, vt vel vlli de perſona chriſti dogmati contradicant, eumque inter hæreticos haberi iubeant. Nihilominus vera ſunt, quæ CASP. SAGITTARIVS [r]) habet: *quod autem hoc dogma, patrum noſtrorum memoria*

n) §. XXXIX.
o) §. XLIII.
p) §. XLV.
q) §. XLIX.
r) *introd. in hiſtor. eccleſ. tom.* I p. 954.

inſignis ac ſumme doctus eccleſiæ noſtræ theologus publicis ſcriptis excuſaret, magnæ ob id aliorum theologorum inuidiæ ac vehementi contradictioni fuit obnoxius. Primus, quantum ſcio, CALIXTO ſe oppoſuit IO. GEORG. DORSCHEVS, eo tempore Argentoratenſis theologus. Quum is anno CIƆIƆCXLIX, poſtquam contentiones *Calixtinæ* eſſent incenſæ, resque eo veniſſet, vt is eo rectius ſentiens haberetur, quo magis alienus eſſet a CALIXTO, *collationem ad concilium Francofurtenſe, ſub Carolo M. imperatore habitum, hiſtorico-theologicam*, in lucem emitteret, libellum certe multo ſtudio conſcriptum, omnem in eo poſuit operam, vt Francofurtenſes de adoptione rectam veramque ſententiam tuliſſe, probaret. Hoc eo magis miramur, quo clarioribus ſignis conſtat, DORSCHEVM non ignoraſſe, Francofurtenſes male iudicaſſe, quum Felicianam hæreſin pro Neſtoriana; aut ei ſimillima reputarent, ac licet non reprehendi queant, quod adoptionem Felicianam damnauerint; nec tamen ſatis adcurate propoſitionem: *chriſtus, quatenus homo eſt, eſt filius dei naturalis*, abſolute veram eſſe, decernerent. Ita non potuit fieri; quin CALIXTO contradiceret s); laudabili tamen ratione ſibi temperauit, quo minus ipſum nomen CALIXTI exprimeret. Quod ad diſputationis argumentum primarium adtinet, vera quidem ſunt omnia, quæ DORSCHEVS adtulit; at ſi vera fate-

s) *ſect.* III *cap.* 5 p. 146 ſqq.

fateri licet, CALIXTI opinioni parum adcurate oppoſita. DORSCHEVS enim ſententiæ ſuæ, *chriſtum hominem eſſe filium dei naturalem*, præſidia ex vnione perſonali repetit. Quod quidem recte fecit; at numquam CALIXTVS negauit, *chriſtum hominem perſonaliter conſideratum*, id eſt, in vnione cum diuina natura conſtitutum, *eſſe filium dei naturalem*. Porro DORSCHEVS concedit, chriſtum hominem non eſſe filium dei naturalem naturaliter [t]); neque eodem modo ſecundum humanam, qua ſecundum diuinam naturam: id quod eadem eſt CALIXTI ſententia. Præcipuum argumentum, quod CALIXTO obiecit [u]), ex *adoptionis* natura petitum eſſe videtur. Neceſſe enim eſſe, putat, vt omnis adoptiuus ſit perſona diſtincta ab adoptante. At non vidit DORSCHEVS, CALIXTVM contra hanc dubitationem bene reſpondiſſe, eſſe aliquid diſcriminis inter adoptionem diuinam et humanam. Adcurate monuit CALIXTVS, licet per naturæ humanæ imbecillitatem neceſſe ſit, vt filius naturaliter genitus ſit perſona diſtincta a patre numerice et habeat cum patre eamdem naturam ſpecifice, at diuerſam numerice; nihilominus filium dei cum patre habere eamdem naturam, non ſolum ſpecie; ſed etiam numero. Simili modo de adoptione poteſt ſtatui, vt homo adoptare quidem debeat perſonam, ab ipſo diſtinctam; deus

R 3 vero

t) p. 153.
u) p. 154.

vero adoptare potuerit chriſtum hominem, qua hominem, licet chriſtus homo, qua homo, non ſit ſuppoſitum; ſiue perſona. Hæc quidem non ita velimus accipi, quaſi ipſi adoptioni faueamus; ſed vt pateat, vere nullum fuiſſe inter CALIXTVM et DORSCHEVM diſſenſum. Cum DORSCHEO feciſſe collegam eius IO. CONR. DANNHAVERVM ex iis, quæ poſtea adferentur, patebit. Præter hos, IO. ADAMVS QVENSTEDIVS [x]) copioſe contra CALIXTVM diſputauit. At in ceteris ſcriptis, quæ in *Calixtino* illo ſuperioris ſeculi bello prodiere, non meminimus, hanc controuerſiam attingi [y]).

VIII.

QVVM eodem fere tempore controuerſia inter IOANN. REINBOTHIVM, Holſatiæ Slesuicenſis antiſtitem, et IOANN. CONR. DANNHAVERVM, doctorem Argentoratenſem magni nominis, eſſent exortæ, iterum quæſtio hæc de chriſti adoptione fuit in diſceptationem vocata [z]). Diſputabant vero potiſſi-

x) *Syſtem. theol. part* III p. 152.

y) conf. IO. MOLLERI *Cimbr. litter. tom.* III p. 177 vbi CALIXTO etiam collegam eius, CONR. HORNEIVM, contradixiſſe, docet.

z) controuerſiæ *Reinbothianæ* hiſtoriam ſcribere, quum nimis abeſt a propoſito noſtro, ſatis erit, lectores, qui eam ſcire cupiunt, ad venerandi patris mei *Einleitung in die Religionsſtreitigkeiten der E. L. K. tom* IV p. 658 ablegare. Addi poſſunt cum ii, quos laudat, IO. HENR. A SEELEN in *philocal. epiſt.* p. 122; tum maxime IO. MOLLERVS

potiſſimum de dogmatum, quæ ad ſalutem conſequendam et cognoſci et credi oporteat, et copia et numero; ſiquidem REINBOTHIVS ſufficere ea putabat, quæ in catechiſmo ſolent proponi eaque, quæ in priſcis fidei ſymbolis, apoſtolico maxime ac Nicæno continebantur, ac negabat recte dogmatum numerum, vti aiebat, augeri. Hæc omnino ita propoſuit, vt vel ſyncretismi ſuſpicionem haud effugeret atque excitaret DANNHAVERVM, vt ei ſeſe obiiceret ac contra eum contenderet, omnino multas eſſe quæſtiones grauiſſimas, quarum nulla fiat in catechismo ſymboliſque mentio: peruerſarum doctrinarum auctores in cauſſa fuiſſe, vt modo hoc, modo illud doctrinæ chriſtianæ caput, de cuius veritate antea nemo dubitauerit, diligentius exponeretur: ſic accidiſſe, vt ſymbola fidei ob impendens cæleſti veritati periculum ſæpius augerentur ac nouæ ſententiæ, ex ſacris litteris deſumtæ; ſed nouis erroribus oppoſitæ, in formulas referrentur eademque, reſtituta pace, nonnumquam omitterentur idemque ius chriſtianæ ciuitati adhuc eſſe relictum. Hæc quum DANNHAVERVS poſt alios, ab vtraque parte editos, libellos, in quibus ne nomen quidem *adoptionis* fuit admiſſum, denuo explicaret, vſus eſt exemplo CAROLI *magni*, de quo ita ſcripſit: *aus gleichdringender Noth hat auch*

RVS, qui in *Cimbr. litter. tom.* II p. 690 ſqq. multo ſtudio de vita ſcriptisque REINBOTHII eſt commentatus.

auch Carolus M. ſeine Confeſſion, welche er fidem catholicam genennet, dem neu entſtandenen Irrthum Elipandi vnd Felicis Orgelitani den Ranck abrennen wollen, da er nicht allein etlichemal der Trinitæt gedenket; ſondern auch ausdrücklich dieſe Worte zu vnd eingeſetzet: verus in vtraque ſubſtantia dei filius, non putatiuus; ſed verus; non adoptione; ſed proprietate. [a]). Ita quidem profitetur, ſe dogma de adoptione chriſti tam nefarium iudicare, vt inter errores fundamentales, ſolemni formula deteſtandos, cenſeat; at neglexit, adcurate definire, de quonam adoptionis genere hæc cupiat intelligi; nec ſignificauit quidem, qualem putet, fuiſſe ſententiam ELIPANDI ac FELICIS, num Arianam, aut Neſtorianam, licet de omnibus antea certi quid ſtatuere, conſultum fuiſſet. Ad nouum argumentum reſpondit REINBOTHIVS [b]): I) dubia eſſe, quæ de concilio Francofurtenſi circumferantur, ſaltem *acta*, ſero promulgata, nonnullis eſſe ſuſpecta: II) de errore ELIPANDI et FELICIS nihil conſtare; niſi quod ex aduerſariorum monumentis repetatur: III) ſi vera ſint, quæ illis imputentur, recte ea fuiſſe a Francofurtenſibus damnata; intellexit vero iſta noſter de adoptione diuinæ naturæ: IV) nihilominus nullam eſſe neceſſitatem, in formulis fidei apertis verbis exprimendi, chri-

a) *præfat. tom.* VI *lactis catechetici pl.* 4 *fol.* 1.
b) in *der Schutzrede, wider die unchriſtliche Auflage, als wenn ers mit den Socinianern hielte*, edit. ann. MDCLVII p. 73.

chriſtum non eſſe filium dei adoptiuum: V) quare in ſymbolis, poſt Francofurtenſe concilium publice recitatis et confirmatis, additamentum CAROLI fuerit omiſſum: VI) quæſtionem, ſic conceptam: *num chriſtus, quatenus eſt homo, ſit filius dei adoptiuus?* ſibi non videri male a CALIXTO et MAIORE adfirmatam: VII) denique certum eſſe, dogma de adoptione chriſti numquam ante CAROLVM inter articulos fidei fundamentales fuiſſe numeratum. Quamuis ergo præcipuam controuerſiæ partem in eo poſitam fuiſſe, pateat, num CAROLVS recte adiecerit additamentum nouum ſymbolo fidei, hocque tanti ſit momenti, vt omnes claris verbis, chriſtum filium dei eſſe non adoptiuum, confiteri oporteat, niſi ſalutis ſuæ facere velint periculum; nihilominus REINBOTHIVM omnino CALIXTI ſententiæ ſubſcripſiſſe, non eſt, cur dubitemus. Nec DANNHAVERVS [c]) ſibi ſuæque cauſæ defuit, ſumſit ſibi hæc confutare. Quod ad hiſtoricas partes attinet, opponit REINBOTHIO ea, quæ DORSCHEVS de concilio Francofurtenſi fuerit commentatus. At humani quid paſſus eſt, quum adderet: *daſs dieſer Zuſatz in folgenden Symbolis ausgelaſſen worden, iſt nicht Wunder, weil der Streit durch bemeltes ſymbolum iſt ſopiret worden vnd die Gefahr nicht mehr*

c) in *der abgenœtigten Rettung des heilſamen Wachstums des chriſtlichen Glaubens*, tam ſeparatim ann. MDCLIX edit. quam *tom.* VII *lect. catechetic.* adiect. p. 130.

mehr vorhanden. Hæc enim non ſolum falſa ſunt; ſed etiam REINBOTHIANÆ ſententiæ de momento huius controuerſiæ magis fauent; quam DANNHAVERO. Quod ſi enim tanta eſt neceſſitas, credendi, chriſtum nullo modo eſſe filium dei adoptiuum, vt inter articulos fidei fundamentales hoc dogma recipi debeat, omni tempore, ſiue periculum immineat; ſiue minus, debet credi. De CALIXTO porro inique iudicat: omnia vero melius fuiſſent diſputata, ſi DANNHAVERVS veram ELIPANDI et CALIXTI ſententiam habuiſſet perſpectam. Iterum reſpondit REINBOTHIVS, atque in eo potiſſimum collocauit operam, vt talem adoptionem, qualem CALIXTVS ſtatuit, defendat; at quum ipſe controuerſiæ *Elipandinæ* parum eſſet peritus, nihil noui adtulit. In eo eſt laudandus, quod preſſit effatum *Paullinum, Ebr.* VII, 3. ab omnibus fere, qui de adoptione diſputarunt, neglectum [d]). Quæ quum ita ſint, non miramur, DANNHAVERVM, qui ad iſta dedit reſponſa [e]), nihil monuiſſe præter id vnum, quod in doctrina de adoptione chriſti REINBOTHIVS cum

CA-

d) *in der wiederholten Schutzrede, nebenſt Wiederlegung* D. *Dannhauers vnnöhtiger* cet. edit. ann. MDCLXI *cap.* VII p. 208.

e) in *dem wohlverdienten Schulrecht. damit weyl.* D. *Conradus Horneius* D. *Borthenium*, id eſt, Reinbothium, *wegen ſeines ungeſchikten Proceſſ im diſputiren, diſcipliniret, und im Gegentheil* D. *Duaræum*, ſiue Danhauerum, *von der Schuldigkeit einer künftigen Antwort abſoluiret*, ann. CIↃIↃCLXII.

CALIXTO fecerit f): id quod ille nunquam diſſimulauit. Nihil addimus, quam hæc eſſe animi noſtri vota, vt vterque maiorem adhibuiſſet in diſputando moderationem.

VIIII.

SVPEREST ex adoptianis noſtri cœtus ſanctioris IOANN. TOB. MAIOR, qui ſuperiori ſeculo Ienenſem academiam ſumma ingenii laude illuſtrauit. Hunc quidem inter primarios doctrinæ de adoptione chriſti patronos locum obtinere, tam paucos nouiſſe, deprehendo, vt nonnulli eum inter illos numerarent, qui eamdem ſuſcepere confutandam; alii vero, maiori prudentia ſe, quænam de hoc argumento ſcripſerit, ignorare, publice confiterentur: ex quorum numero ipſum SAGITTARIVM g), itidem patriæ meæ decus, fuiſſe, non ſatis mirari poſſum. Quum MAIOR anno MDCXLVI in ordinem theologorum cooptaretur, vt mori, in illa muſarum ſede, recepto rite ſatis faceret, de *filiatione chriſti, vt hominis, theſes theologicas* h), ad diſputandum d. XXII jun. propoſuit eosque, reſpondendi officio M. ELIÆ HIMMELIO commiſſo, defendit. In his poſtquam monuit, de adoptione fuiſſe in concilio Francofurtenſi diſceptatum, cuius *acta* quidem, a BINIO edita; at non ALCVINI *opera* viderat, idemque argumentum inter ſcholæ magiſtros

f) p. 169.

g) in *introd. in hiſtor. eccleſ. tom.* I p. 954.

h) libellus nonniſi quatuor abſoluitur plagulis.

ſtros eſſe admodum controuerſum, ad rem ipſam explicandam adgreditur orationisque initium a definienda filii *naturalis et adoptiui*, natura ac differentia ducit [i]), ſtatumque controuerſiæ ita exprimit, vt *non* quæratur: *an chriſtus, qua deus, ſit per naturam verus, proprius ac naturalis dei filius, e ſubſtantia patris ab æterno genitus? ſed, an qua homo e ſemper virgine natus, ſit quoque naturalis dei filius ſalutindus? an vero potius per gratiam, eamque vel ſubſtantialem, increatam, quæ ex vnione perſonali fluit; vel habitualem, accidentariam; ſeu extrinſecam acceptationem et paternam complacentiam, ſit adoptiuus dicendus; nec ne?* Deinde nonnihil de adoptione diuina, quantum ab humana differat atque in *obiectiuam* et *formalem* ſit diſtribuenda, adfert ac definite ſubiecti: *chriſtus vt homo*, ſiue id *ſpecificatiue*; ſiue *reduplicatiue*, vel ratione *naturæ*, tam *vt ſit*; quam in *vnione* ſpectatæ, vel ratione *ſuppoſiti* conſideretur, exponit [k]) notionem. Ex his porro concludit: I) refragari ſcripturæ ſacræ, qui *chriſtum ſecundum carnem filium dei eſſe eodem ſenſu adoptiuum*, ſtatuat, *quo pii homines tales dicantur*, hocque nomine ELIPANDVM male ſenſiſſe, quem ita quidem ſenſiſſe, MAIOR credidit; hac tamen lege, vt eum cum FELICE ab omni Neſtorianiſmi ſuſpicione liberaret [l]): II) eodem modo falſam eſſe eorum ſententiam, *qui chriſtum ſecundum carnem, reduplicando naturam, filium dei naturalem*

i) *theſ.* VI §. 2. k) *theſ.* IX ſq. l) *theſ.* XX.

ralem, ſiue naturaliter eſſe, autument [m]): III) hanc potius propoſitionem: *chriſtus ſecundum carnem; ſiue ſpecificando; ſiue reduplicando ſuppoſitum, ex gratia vnionis hypoſtaticæ, non eſt filius dei adoptiuus; ſed naturalis*, eſſe veram [n]): IV) contra ea: *chriſtum ſecundum carnem, non ſpecificando; ſed reduplicando naturam humanam, a λογῳ in tempore adſumtam, tum ex gratia actuali creationis; tum ex gratia habituali ſanctificationis; non eſſe filium dei naturalem, per et propter generationem temporariam præciſe ſumtam* [o]). Hæc ſententia quum MAIORI placeat, eam ELIPANDI more ſeruitutis chriſti exemplo illuſtrat, licet ab ineptiis Hiſpanorum recte abſtineat. Nihilominus neque ipſe adcurate ſcriptorum diuinorum effata de ſeruo dei cepit, ſiquidem illa non de perſona; aut naturis; ſed de officio ac ſtatu exinanitionis fuere edita. At miſſa hæc facio, quæ aliena a noſtro propoſito ſunt, atque addo, diſtinxiſſe quidem MAIOREM gratiam *adoptionis* a gratia *vnionis*; tamen monere, exinde nec duas filiationes; nec duos filios; ſed duos filiandi modos poſſe et debere elici [p]). Pauca, quæ ex commentatione MAIORIS excerpſi, ſufficere videntur, ad cognoſcendam veram eius de adoptione ſententiam, quam non dubito, cum *Calixtina* eamdem fuiſſe, a MAIORE autem ſubtilius explicatam. Quum hæ theſes in lucem publicam prodiiſſent, quemquam MAIORI contradixiſ-

m) *theſ.* XXVIII. n) *theſ.* XXVIII.
o) *theſ.* XXIX. p) *theſ.* XXXI.

dixiſſe, haud memini, præter THOM. REINESIVM. Illuſtre hoc omniumque ore celebratum nomen, vt hoc loco prædicare queam, binæ illius efficiunt litteræ, ad MAIOREM datæ et poſt vtriusque ex hac vita diſceſſum, publici iuris factæ q). Priorum licet extremæ partes interierint, eas tamen eodem anno fuiſſe ſcriptas, ex poſterioribus colligitur. Illæ ſunt ſatis longæ ac copioſæ multaque continent, quæ nequeunt contemni. In eo quidem REINESIVS peccaſſe videtur, quod adoptionem *Arianam*, *Neſtorianam*, *Elipandinam*, *Scholaſticam* et *Calixtinam*; immo *Maioriſticam* vno eodemque loco haberet; ſapientiſſime vero monet, huius generis quæſtiones ita eſſe comparatas, vt tutius ſit, illis ſeſe abſtinere, quam ex myſteriis, ſupra omnis rationis humanæ terminos collocatis, repetere occaſionem, ingenii acumen oſtentandi. Egregie quoque docet, indignum fere eſſe, *arrogationis*, *adoptionis*, *emancipationis*, *manumiſſionis*, ex foro veterum Romanorum deſumtas, ad chriſti perſonam adcommodare; neque id fere ſine omni iniuria, ei inferenda, poſſe fieri. Nihil lucis ſalutari doctrinæ, addit, ex his vocabulis eſſe exſpectandum; eam vero infinitis diſtinctiuncularum τεχνυδρίοις περθρείαις et lenociniis perturbari. Progreditur deinde ad ELIPANDVM ac FELICEM eosque, ex ALCVINO et

q) inter epiſtolas *Gudianas et Sarrauianas*, *num.* CCLI et CCLII p. 312 ſqq. vbi MAIOR male MAIVS adpellatur.

et PAVLLINO Neſtoriani erroris arguit vrgetque illam de regeneratione chriſti ſententiam ac breuem Felicianæ controuerſiæ narrationem inſtituit, vt et BARONIVM et alios omnes, qni ALCVINI operum vſu caruere, parum recte de illa diſſeruiſſe, comprobaret. Quamuis hæc REINESII narratio non omnibus numeris ſit perfecta, ſed laboret vitiis, ætati eius ignoſcendis; eo tamen nomine mihi videtur memorabilis et magni facienda, quod pars ſit *ſupplementi exercitationum Caſaubonianarum ad Baronii annales*, quod vir ſummus tum molitus eſt; triſtior autem fortuna nobis eripuit. Simili modo ægre ferendam puto epiſtolæ iacturam, qua MAIOR ad REINESII monita reſpondit. Eum enim omnino ad hæc dediſſe reſponſum, poſteriores REINESII litteræ d. 5. Sept. ann. CIƆIƆCXLVI ſcriptæ, abunde probant. Ex his intelligimus, MAIOREM de plerisque, quæ REINESIVS Hiſpanis imputauerat, dubitaſſe, nec potuiſſe ſibi perſuadere, eos de baptiſmo chriſti tam male eſſe loquutos. Quare ſe, REINESIVS fatetur, commotum fuiſſe, vt ALCVINI opera, quæ MAIOR nondum vidiſſet, ipſi transmitteret. Id quidem certum eſt, REINESIVM MAIORI non perſuaſiſſe, adoptionis formulam, dum de optimo ſalutis noſtræ auctore diſputatur, eſſe ineptam et ad introducendos nouos errores mirifice adcommodatam. Hanc enim ei ſemper placuiſſe eumque ad ea defendenda intempeſtiue fuiſſe conſtantem, ex eo colligitur, quod ann. CIƆIƆCL denuo

de

de filiatione chriſti, vt homo eſt, diſſertationem theologicam, hiſtorico ſcholaſticam produceret eamque publicis colloquiis ſubmitteret, reſpondente M. IOANNE BARTHOLOMÆO BECHMANNO [r]. Poſterioribus curis inſigniter auctas exhibet illa easdem theſes. Maxima additamentorum pars ad FELICIS hiſtoriam illuſtrandam pertinet: ipſa ſententia non mutata, ſed iisdem verbis repetita: pauca, antea omiſſa, adiecta. Sic ſatis recte MENDOZAM et HVRDATVM confutauit, qui chriſtum ſecundum humanam naturam reduplicatiue filium totius ſacroſanctæ trinitatis naturalem eſſe, dixere [s]: ſimili modo diſcrimen, quod eſt inter *filium naturalem eſſe et filium eſſe naturaliter*, adcuratius exponit [t]. Poſtea nemo, quantum ſcio, MAIORI ſe obiecit, ſi ab vno ABRAHAMO CALOVIO diſceſſeris. Hic enim quamuis in confutanda adoptianorum doctrina CALIXTI, quod non ſatis mirari poſſum, nullam faceret mentionem: tamen MAIOREM, cuius nomen litterarum D. I. T. M. ſignis expreſſit, publice reprehendit atque addidit, hunc a GVIL. LYSERO fuiſſe admonitum, vt ab iſtis ſententiis abſtineret; his vero adhortationibus nullum præſtitiſſe obedientiæ officium, quod ſuo præceptori debuiſſet [u]).

X.

PRÆTER hos, dubito, quemquam ex cœtu noſtrorum doctorum adoptionis voci et for-

r) plagulas continet octo.
s) *theſ.* LV ſqq.
t) §. LXVII ſqq.
u) *ſyſtem. theolog. tom.* VII p. 262.

formulæ ſubſcripſiſſe. Ad vnum omnes ſatis habuere, aut doctrinam FELICIANAM notare, quod Neſtoriana ſit; aut aperte declarare, chriſtum eſſe filium dei verum, proprium et naturalem ſecundum vtrumque naturam, ſecundum diuinam naturaliter, ſecundum humanam ὑποστατικῶς. Laudauit hanc in rem, *centuriatores Magdeburgenſes*, MARTIN. CHEMNITIVM, AEGID. HVNNIVM, SAL. GESNERVM, et BALTH. MENZERVM aliosque IO. GEORG. DORSCHEVS x). Addo magnum GERHARDVM y), CASP. ERASM. BROCHMANDVM z), IO. BENEDICT. CARPZOVIVM a), ABR. CALOVIVM b), IO. ADAM. SCHERZERVM c), IO. ANDR. QVENSTEDIVM d), IOANN. FRANCISC. BVDDEVM e). Nec reformati ſecus ſentiunt, licet paucos ex hac familia huius generis quæſtiones ſubtiles tractare, inter omnes conſtet. Laudari tamen oportet IOANNEM FORBESIVM A CORSE f), quod multo ſtudio de adoptione chriſti diſputauit et licet non omnia adcurate explicauerit; multa tamen adtulit, quæ illuſtrandæ quæſtioni inſeruiant. XI.

x) *coll. ad concil. Franc.* p. 144.
y) in *exegeſ. artic. de chriſto* §. CLXXII.
z) *ſyſtem. theol. cap* VIII quæſt. 6.
a) *ſyſtem. theol. artic.* XVI *ſect.* IV aphor. 4 §. 5.
b) *loc. cit.*
c) *ſyſtem. theol.* p. 182.
d) *ſyſtem. theol. part* III p. 149.
e) *inſtitut. theol dogm. libr.* IV *cap.* 2 §. XLIV.
f) *inſtruct. theol. libr.* VI *tom.* II *oper.* p. 270 ſqq.

XI.

EXTREMO denique loco, ne quid neglexiſſe videar, quod mearum ſit partium, breuiter monere liceat, ARII ſomnia de filio dei adoptiuo, quæ de ipſa diuina natura, infando ſcelere, commentus eſt, a *Socinianis* nonnullis fuiſſe in lucem reuocata. Quum intelligerent illi: immo ſentirent, magno iure a viris doctis, qui nugis eorum confutandis ac vindicandæ ab eorum criminationibus cæleſti de christo deo doctrinæ ſeſe conſecrauerant, ad clariſſima oracula prouocari, quibus *dei filium* noſtræ ſalutis auctorem dici, gloriamur, perditæ ſuæ cauſſæ ex adoptionis voce præſidia conquirere, auſi ſunt. Ipſe FAVSTVS SOCINVS [g]) arte hac vſus eſt, dei verbis vim inferendi, nec mirum, eum tot alios Fauſtinæ ſcholæ magiſtros eſſe ſequutos. At quum iſta neminem lateant, nulla eſt cauſſa, cur ipſi in deſcribendis illorum teſtimoniis ſimus longiores [h]). Neque arduum eſt, definire, qualem illi credant, fuiſſe chriſti adoptionem, in quo nihil fuiſſe, præter humanam naturam, nobis omnibus communem, miſeri arbitrantur.

g) *tom.* II *biblioth. fratr. Polon.* p. 424 ſqq.
h) conf. PAVLL. TARNOVIVM *tr. de ſacroſ. trinitat.* 405. IO. AD. SCHERZERVM *colleg. anti-ſocin.* p. 234 ſqq. et ven. patrem in *der Einleit. in die Religionsſtreit. auſſer der E. L. K. tom.* IV p. 398 et p. 404.

CAPVT

CAPVT IIII.

QVO

DOCTRINA ADOPTIANORVM DIIVDICATVR.

I.

POSTQVAM abſoluimus adoptianorum hiſtoriam eosque omnes percenſuimus, qui chriſtum filium dei eſſe adoptiuum, ſibi perſuaſerunt, antequam ſcriptioni huic imponatur finis, neceſſe eſt, vt de ipſa hac quaeſtione, diſpiciamus, quid vere ſentiendum ſit, quibusque rationibus rectior doctrina ſit confirmanda. Id quod quum nec arduum ſit; nec difficile, venimus in certam ſpem, vt aequi lectores ignoſcant breuitati, cuius legibus adſtrictos nos eſſe iubet temporis, quod nobis relictum eſt, breuitas.

II.

QVICVMQVE de adoptione chriſti dixere ſententiam, licet grauiſſima eorum exſtent diſſidia; in eo tamen conſentiunt omnes, vt chriſtum aut naturalem dei filium eſſe; aut adoptiuum eſſe credant, atque ex his, quae ſibi inuicem ſunt oppoſita, alterutrum amplectantur. Hanc ergo conſtituunt, de qua controuerſia eſt, quaeſtionem: *num chriſtus filius dei ſit naturalis; an adoptiuus?* Quae

quidem verbis, tam late patentibus, expreſſa eſt, vt niſi de illorum ſignificationibus ac vera ſententia certi quid definiatur, fieri nequeat, quin inanes ac nugatoriæ λογομαχιαι oriantur; nec res ipſa adcurate percipiatur mente. De prædicatis, liceat enim, vt perſpicua ſit noſtra oratio, ſcholaſticis vti dicendi formulis, facilis eſt diſputatio. Eos, qui *adoptionis* voci eamdem cum *adſumendi* verbo tribuunt notitionem, ita vt pronuntient: *chriſtum adoptaſſe humanam naturam; vel chriſti humanam naturam fuiſſe adoptatam*, quod patres nonnullos dixiſſe, ſupra monſtrauimus [a]), hoc loco mittimus. Quamuis enim ſecus loquantur; ac diuini ſcriptores; neque ipſa loquendi ratio ad declarandam rem ſit adcommodata; nolumus tamen in verbis eſſe difficiles ac moroſi. Sed cum iis nobis res eſt, qui *filium dei naturalem filio dei adoptiuo* opponunt. Verba a Romanis petita eſſe, quisque ſentit; at non opus habemus, excurrere ad adoptionis Romanæ origines ac naturam explicandas. Satis eſt, breuiter notare, quid diſcriminis intercedat inter filium naturalem et adoptiuum. Quisnam recte dicatur *filius* patris ſui *naturalis*, haud male deſcripſiſſe videtur CALIXTVS [b]), quem eo magis ſequi fas eſt, quo adcuratius rem concepit et declarauit, ita vt DORSCHEI etiam offen-

a) vid. *cap.* I §. 2. 3. 5. 7. 13. 16.

b) *faſcicul. progr. et diſſ. de chriſto* p 119 ſqq.

offenſionem effugeret. *Filius naturalis* eſt is, qui *ſuam naturam ex ſubſtantia patris, per productionem generationis accepit*. Conſequens eſt, vt eamdem habeat cum patre naturam, ſitque patri, qua ipſam eſſentiam, ſimillimus; et iure ſuo filii nomine ac dignitate fruatur, et recte dicatur naturalis, quia natura eſt filius; nec poſſit non eſſe filius eius, quo vſus eſt patre. Contra ea *adoptiuus* eſt *extraneus ſecundum productionem generationis ſuæ, qui benigna adoptantis voluntate ad ius filii et capeſſendam hereditatem admittitur*. Habet ergo is ſuam ſubſtantiam non ex ſubſtantia illius, qui tanta beneuolentia eum amplectitur, vt filii ius et nomen dignitatemque in eum transferat, atque, niſi eſſet hæc patris adoptiui voluntas, omni caret iure hereditatis capeſſendæ. Quod luculento υἱοϑεσιας exemplo illuſtratur, in ſacris litteris inter decora et ornamenta piorum hominum relatæ, *Ioann.* I, 12. *Rom.* VIII, 16. 17. *Gal.* III, 26. IIII, 5. 6. 7. *Eph.* I, 5. 6. 1. *Io.* III, 1. 2. Hæc itaque *filii naturalis* et *adoptiui* nomina, manifeſtum eſt, ita ſibi eſſe contraria, vt qui adoptiuus ſit, nequeat eſſe naturalis; neque vlla filii naturalis adoptio poſſit mente concipi. Tantum quoque abeſt, vt de diſcriminis veritate vlla ſit dubitatio; vt quicumque de adoptione filii dei diſputauerint, vno ore conſentiant, chriſtum non poſſe eſſe filium naturalem, ſi ſit adoptiuus; neque adoptiuum, ſi ſit naturalis.

III.

AT VERO in ſubiecto noſtræ quæſtionis controuerſiæ definiendo eo maiori cura eſt opus, quo certius eſt, varias et inter ſe diuerſas *adoptianorum* ſententias in hoc vno capite diſcrepare Vt adcurate omnia a nobis explicentur, ad duo genera vniuerſos adoptianos reuocari oportet. *Alii* enim dum chriſtum filium dei eſſe naturalem, negant, eumque adoptiuum eſſe, cenſent, hæc de diuina chriſti natura cupiunt intelligi. Hi, quem Dei oracula a patre ab æterno genitum eſſe eiusdemque eſſe cum patre eſſentiæ, luculenter docent, filium dei dici, impie ſibi perſuadent, propter adoptionem, quam fingunt. Quam quidem *adoptionem* dixeris *Arianam* [c]) et *Socinianam* [d]), cui et *Bonoſiani* [e]) et THEODISCVLVS [f]) ſubſcripſere. Hi ergo omnes, ſi quis propoſuerit quæſtionem: num chriſtus deus ſit filius dei naturalis; an adoptiuus, quum negant, deum ex ſua ſubſtantia æterna generatione produxiſſe filium, qui eiusdem cum ipſo ſit eſſentiæ, facile reſpondebunt, filium eum eſſe adoptiuum, non naturalem. Impiam hanc eſſe vocem ac nefandum ſcelus, quo de diuinitate chriſti detrahitur, luculentis conficitur argumentis, ex ſcriptura ſacra repetitis. Opponimus illorum errori, cum illuſtre

c) vid. *cap.* I §. 4.
d) vid. *cap* III §. 11.
e) vid. *cap.* I §. 10.
f) vid. *ib* §. 19.

luſtre PAVLLI effatum, qui perinde chriſtum dei ἴδιον υἱον, *filium proprium Rom.* VIII, 32. dixit; ac iudæi non male de chriſto pronuntiarunt: πατερα ἴδιον ἔλεγε τον θεον, *patrem proprium*, naturalem, *deum dixit*, *Io.* V, 18. tum innumera oracula alia, quibus filius dei μονογενης *Ioann.* I, 14. 18. III, 16. 1 *Io.* IV, 9. πρωτοτοκος *Ebr.* I, 6. *Col.* I, 15. ἀγαπητος *Matth.* III, 17. adpellatur; tum etiam ipſam generationem ab æterno, de qua illuſtre inprimis exſtat teſtimonium *Pſalm.* II, 7. quo ii omnes abutuntur, qui illud ELIPANDO, FELICI, CALIXTO hisque ſimilibus oppoſuerunt. Quibus omnibus efficitur, vt chriſtus ſit ſecundum diuinam naturam filius dei naturalis, quia ex ipſa patris ſubſtantia per generationem fuit productus: ideoque non ſolum nulla opus eſt adoptione; ſed nec vlla etiam adoptio fieri potuit; niſi coniungi diſparia inter ſe poſſe, putes g).

IV.

ALII non de chriſto deo, quem colunt omnes vnoque animo vnoque ore verum, proprium et naturalem dei filium, confitentur; ſed de *chriſto homine;* ſiue de *chriſto ſecundum humanam naturam* quærunt: num

g) legas IOANN. GERHARDVM *exegeſ. loc. de chriſto* §. LIV. HERM. WITSIVM *exercit.* XII *in ſymbol. apoſtolic.* §. X. 10. AD. SCHERZERVM *colleg. antiſocin. diſp.* XV ſqq. omnesque et dogmaticæ theologiæ ſcriptores; et eos, qui contra ſcholam Fauſtinam pugnarunt.

num filius dei ſit naturalis; an adoptiuus? Non poſſumus de hac propoſitione recte ſtatuere; niſi expeditum ſit, num chriſtus ſecundum humanam naturam recte dicatur filius dei? Miramur certe, ceteros fere omnes de hac quæſtione parum fuiſſe ſollicitos, licet pateat; ex ea omnis illius controuerſiæ ducendam eſſe originem. Hoc quidem fatemur, neminem ex iis omnibus de huius ſententiæ veritate dubitaſſe; neque Neſtorianos quidem vmquam eam vocaſſe in dubium, dum alioquin non potuiſſent de adoptione diſputare: noſtra tamen intereſt, eamdem penitus cognoſcere nobisque firmiter perſuadere. Duplex eſt dictorum ſcripturæ ſacræ genus, quibus id recte confirmatur. *Primum* enim de concreto humanæ naturæ aperte pronuntiatur, quod ſit filius dei. Sic GABRIEL ait: το γεννωμενον ἅγιον κληθήσεται υἱος Θεȣ, *Luc.* 1,35. Simili ratione PETRVS ad quæſtionem, *quis ſit filius hominis? Matth.* XVI, 13 reſpondit, quod ſit ὁ υἱος τȣ Θεȣ τȣ ζωντος, *verſ.* 16. Item centurio, de chriſto mortuo: ἀληθως ὁ ἀνθρωπος ȣτος υἱος ἠν του Θεȣ, *Marc.* XV, 39. *Deinde* inſignis eſt teſtimoniorum copia, quibus concreto perſonæ *filii dei* nomen tribuitur. Quo pertinent verba patris de chriſto baptiſato, *Matth.* III, 17, et glorificato XVII, 5, quod *filius eius ſit dilectus:* et diſcipulorum, qui diuina chriſti potentia ex naufragii periculo euaſerant: ἀληθως

Θεȣ

Θεȣ ὑιος ει, *Matth.* XIV, 33. item PETRI: συ ει ὁ χριϛος ὁ ὑιος τȣ θεȣ τȣ ζωντος, *Ioann.* I, 69, ac CHRISTI ipſius ad patrem: δοξασον σȣ τον ὑιον, *Ioann.* XVII, 1, 5. porro PAVLLI, qui την βασιλειαν τȣ ὑιȣ της ἀγαπης *dei* commemorat, *Col.* 1, 13, et alibi dicit, deum nobis loquutum eſſe, ἐν ὑιῳ ὁν ἐθηκε κληρονομον παντων, *Ebr.* 1, 1. 2. denique *Ioannis*: Ἰησȣς ἐϛιν ὁ ὑιος τȣ Θεȣ, 1 *ep.* IV, 5. Ea vero, quæ de concreto perſonæ proponuntur, vt inter vtramque naturam ſint communia, neceſſe eſt [b]). Quare efficitur, vt *filii dei* nomen non ſolum in concretum diuinæ naturæ; ſed etiam in concretum humanæ naturæ cadat, ideoque chriſtus ſecundum humanam naturam; ſiue filius Mariæ recte dicatur *filius dei*.

V.

ATQVI filius hominis eſt filius dei. Num ſit filius naturalis; an adoptiuus, ſi quæſiueris, facile inuenies, diuerſa ſentire de hac re, qui de ipſa filiatione conſentiunt. At vero iterum in duas claſſes ii omnes poſſunt diſtribui. *Prior* eſt illorum, qui vtriusque naturæ in chriſto factam eſſe

S 5 vni-

b) legas MART. CHEMNITIVM de *duabus natur. in chriſto cap.* XIII. IO. GERHARDVM *loc. cit.* §. CLXXXVI. IO. ANDR. QVENSTEDIVM *ſyſtem. theol. part.* III p. 89 ſqq. IO. FRANCISCVM BVDDEVM *inſtitut. theol libr.* IV *cap.* 2 §. XI ceterosque, qui propoſitiones perſonales illuſtrarunt.

vnionem perſonalem, negant. Duas, comminiſcuntur, eſſe perſonas, alteram diuinam; alteram humanam; nec poſſunt; quin chriſtum ſecundum humanam naturam filium dei non naturalem; ſed adoptiuum eſſe, credant ac duos dei filios, alterum naturalem; alterum adoptiuum, fingant. Adoptionem tamen, quæ *Neſtoriana* poteſt adpellari, defendendam olim ſuſceperunt DIODORVS *Tarſenſis* et THEODORVS *Mopsueſtenus* i), LEPORINVS k) ac FACVNDVS *Hermianenſis* l). Eam vero non modo manifeſto erroneam eſſe, quod omni caret veritatis ſpecie; ſed etiam impiam et clariſſimis dei effatis contrariam, tot conſtat rationibus, quotquot vnionis hypoſtaticæ veritas demonſtratur. Quum ſemper nefas eſt, ſeparare, quæ diuinitus ſunt coniuncta, grauiſſimi erroris illi arguendi ſunt, qui adoptiuum dei filium admittunt, vt ἐνυποςασιαν humanæ chriſti naturæ negent, dictisque diuinis inferunt vim, quibus nugas ſuas ſentiunt aperte conuelli. Quam ob cauſſam non opus eſt longa diſputatione ad confutanda hæc ſomnia, quæ ab omnibus adcurate ſunt confutata, qui in declaranda et confirmanda vnione hypoſtatica ſtudia ſua collocarunt ll).

VI.

i) vid. *cap.* I §. 11.
k) vid. *ib.* §. 14.
l) *ib.* §. 17.
ll) ex multis vnum laudaſſe ſatis erit MARTIN. CHEMNI-

VI.

AD poſteriorem claſſem referendi ſunt omnes, qui admittunt recteque amplectuntur veram de vnione duarum naturarum in chriſto hypoſtatica doctrinam. Qui licet in ea conueniant, varia tamen ac diuerſa inter ſe ſentiunt, dum diſquirunt, num chriſtus ſecundum humanam ſit filius dei naturalis an adoptiuus? Harum contentiones ex formulæ, qua vtuntur: *ſecundum humanam naturam*, diuerſa notione ſunt ortæ. Etenim ſi has voces referas ad concretum naturæ humanæ ſpecificatiue, ita vt quæſtio ſic exprimatur: *num chriſtus, qui eſt verus homo, ſit filius dei naturalis; an adoptiuus?* aut ſi concretum naturæ humanæ conſideres perſonaliter hancque proponas quæſtionem: num *chriſtus homo, quatenus eſt homo, in quo diuina cum humana natura coniuncta eſt*, ſiue quatenus eſt θεανθρωπος, *ſit filius dei naturalis; an adoptiuus?* tum nemo ex his negat, eum eſſe filium dei naturalem, non naturaliter; ſed ὑποςατικῶς; ſiquidem per vnionem hypoſtaticam factum eſt, vt idem, qui eſt homo, ſit filius dei naturalis omniſque adoptio iure tollatur. Simul

CHEMNITIVM, cuius egregius exſtat *de duabus naturis in chriſto et hypoſtatica earum vnione libellus*: adde ſcriptores, laudatos a patre in *der Einleitung in die dogmatiſche theolog. cap.* XV §. CVI et CVII. Ex pontificiis legendus eſt DIONYS. PETAVIVS *libr.* III dogm. *theol. de incarnat.*

mul recte vna eſſe dicitur filiatio chriſti; hac tamen lege, vt per naturam cadat in ſolam diuinam naturam, ex patris eſſentia genitam; in humanam vero per vnionem. Huius ſententiæ verum fundamentum poſitum eſt in vnione illa perſonali, ita vt ipſa propoſitio: *filius Mariæ eſt filius dei naturalis*, inter propoſitiones perſonales ſine omni dubitatione ſit referenda. Atqui hæc eſt eadem vera doctrina, quam non ſolum nonnulli ſcholaſtici; ſed etiam omnes noſtri theologi, qui contra adoptionem pugnarunt, ſupra a nobis laudati, luculenter comprobarunt.

VII.

AT nonnullis non ſatis fuit, chriſtum ſecundum humanam naturam eſſe filium dei per vnionem perſonalem; ſed præter hanc, aliam introduxerunt filiationem. Protulerunt eamdem quæſtionem, ita circumſcriptam, vt chriſtum ſecundum humanam naturam conſiderarent, quaſi extra vnionem conſtitutum; ſiue, vt illi loquebantur, reduplicando naturam, ſicque declarandam: *num chriſtus ſecundum humanam naturam, quatenus eſt verus homo, ſit filius dei naturalis; an adoptiuus?* Atqui facile hi intellexerunt, quum nemo poſſit ſibi perſuadere, chriſtum perinde humanam ſuam naturam, vti diuinam, accepiſſe ex æterna patris generatione, eum non eſſe filium dei naturalem ſecundum huma-

nam

nam naturam, atque ex his concluſerunt, neceſſe eſſe, vt ſit filius dei adoptiuus. Hæc eſt doctrina, cuius ELIPANDVS et FELIX m) fuere auctores; CALIXTVS n) vero, REINBOTHIVS o) et MAIOR p) patroni et vindices. Intercedit tamen inter veteres et recentiores huius generis adoptianos nonnihil diſcriminis. *Feliciana* quidem ſententia, non ſolum chriſtum hominem adoptatum a patre fuiſſe, docet; ſed etiam et tempus et modum adoptionis definit atque ad obtinendam veritatis ſpeciem, ex grauioribus erroribus de ſeruitute et regeneratione chriſti repetit præſidia; *Calixtini* vero ſe his abſtinent ac ſatis eſſe ducunt, adoptionem conſtituere cauſſam, cur chriſtus ſecundum humanam naturam ſit filius dei. Contra vtrumque adoptionis genus, tam *Felicianum*; quam *Calixtinum* et *Maioriſticum* plerique minus recte diſputarunt, tam veteres; quam recentiores, qui modo filiationem æternam ac naturalem; modo filiationem perſonalem demonſtrarunt; modo denique auctoritate concilii Francofurtenſis controuerſiam diiudicare poſſe, ſibi perſuaſerunt: id, quod licet curiæ Romanæ adſentatoribus ignoſcendum ſit, in DORSCHEO tamen, DANNHAVERO et

QVEN-

m) vid. *cap.* II *ſect.* 2.
n) vid. *cap.* III §. 7.
o) *ib.* §. 8.
p) *ibid.* §. 9.

QVENSTEDIO hisque ſimilibus merito reprehenditur, ne quid de imprudentia ADRIANI, ALCVINI, PAVLLINI et *Francofurtenſium* dicamus, qua ſæpenumero ita loquuti ſunt, vt ipſam humanam chriſti naturam ex eſſentia patris genitam eſſe, ſignificare: ſaltem differentiam inter filiationem concreti diuinæ naturæ, quæ ex generatione ab æterno orta eſt, atque inter filiationem concreti humanæ naturæ, quam vnio perſonalis effecit, negligere viderentur.

VIII.

NIHILOMINVS ingenue fatemur, penitus diſplicere nobis adoptionem omnem, ſiue ſit *Calixtina*; ſiue *Feliciana*, grauiſſimis ita ſentiendi rationibus adducti. Quamuis lubentes concedamus, humanam chriſti naturam numquam eſſe poſſe cauſſam, cur chriſtus homo ſit filius dei ideoque nec chriſtum hominem, quatenus eſt homo, reduplicando naturam, eſſe filium dei naturalem: tamen negamus, recte ratiocinari CALIXTVM alioſque, ideo eum eſſe adoptiuum. Id enim negamus, quod controuerſiæ huius auctores, tamquam certum, ſupponunt, *chriſtum ſecundum humanam naturam non ſolum quatenus eſt* θεάνθρωπος, *ſed etiam, quatenus eſt homo, eſſe filium dei;* niſi hoc loco de patris nomine ob creationem ad deum translato q), cogites, de quo nulla

q) conf. SAL. GLASSII *philolog. ſacr.* p. 1586.

la eſt diſputatio. *Primum* enim abſonum eſt, triplicem ſtatuere in chriſto filiationem, quam illi omnes vt admittant, neceſſe eſt. Ex eorum enim ſententia chriſtus eſt verus filius dei I) naturalis naturaliter, ſecundum diuinam naturam; II) naturalis ὑποϛατικῶς ſecundum humanam naturam; cum diuina coniunctam: III) adoptiuus ſecundum humanam naturam; extra vnionem cum diuina ſpectatam. *Deinde* quum chriſtus homo inde a primo tempore, quo in vtero Mariæ fuit formatus conceptusque, per omnia ſecula æterna cum concreto diuinæ naturæ fuit perſonaliter coniunctus, nulla umquam opus fuit adoptione; nec cogitari quidem poteſt, chriſtum hominem, diuinis iam per vnionem attributis inſtructum, quidquam per adoptionem potuiſſe accipere, quod per vnionem non antea eſſet conſequutus. *Denique* noſtra ſententia illuſtri confirmatur effato PAVLLI r), quo chriſtum ἀπατορα et ἀμητορα eſſe, dixit, ita vt illud ad humanam, hoc ad diuinam naturam referret. Chriſtum ergo ſecundum humanam naturam carere patre, pronunciat. Numquid, putes, eum, qui non habet patrem; eſſe tamen patris filium? Claris ergo docet verbis, chriſtum non eſſe ſecundum humanam naturam, quatenus eſt homo, filium dei. Conſequens ergo eſt

r) legas venerandi patris mei *comm. de chriſto ſine patre et matre*, quæ exſtat in *miſcell. ſacr.* p. 873.

eſt, prorſus inanem eſſe quæſtionem: num ſit filius dei naturalis; an adoptiuus? Nec opponi queunt dicta, quæ ipſi attulimus, de chriſto homine filio dei. Ea enim non de filiatione hominis abſtractiue; ſed de filiatione concreti humanæ naturæ, per vnionem perſonalem cum diuina facta, eſſe capienda nemo dixerit; niſi diuinos ſcriptores ſibi inuicem contradicere, id eſt, quæ fieri nequeant, poſſe effici, ſibi perſuadeat. Sufficiat ergo nobis, chriſtum colere verum dei filium, ab æterno a patre, ſine matris officio genitum; verumque hominem, ſine patre a Maria in lucem ſuſceptum et per vnionem perſonalem veri filii dei nomen dignitatemque conſequutum: θεανθρωπον, et dei et hominis filium, habentem duas naturas, vnius perſonæ vinculo coniunctas: quo nihil ſublimius nihilque dulcius aut mente poteſt concipi; aut verbis exprimi. Hæc, ſupra vires noſtri intellectus poſita, pia mente cogitemus atque id vnum expetamus, vt eum amplectamur conſtanti fide ſicque conſequamur, quam ille nobis adquiſiuit, ἐξουσιαν τεκνα θεου γενεσθαι.

F I N I S.